



Piet. 4<sup>o</sup> 22.

4 5.  
DISSERTATIO

DE

VERA FIDEI  
FORMA,

QUA

INTEGRITAS ARTICULI HUIUS  
FUNDAMENTALIS ET AD IPSAM LU-  
THERANISMI ANIMAM ATTINENTIS

*adstruitur,*

&

a nonnullis, cum Veterum, tum Neotericorum,  
divaricationibus placide ac decenter vin-  
dicatur,

AUTORE

CHRISTOPHORO SONNTAGIO,  
SS. Theol. D. & Professore primario Altdor-  
fino.

---

Typis & impensis KOHLESIANIS,  
ANNO M.DC. XCLIX.

D I S S E R T A T I O

DE

V E R A F I D E I  
F O R M A

QUA

I N T E G R I T A S A R T I C U L I H I I U S  
F U N D A M E N T A L I S E T A D I P S A M I L I  
T H E R A N I S M A M A M A T I B U S

TRACTATUS

A AUCTORE  
D. THEOD. D. & PROFESSORE P. A. A. A. A. A.

AUCTORE

C H R I S T O P H O R O S O N N T A G I O  
D. THEOL. D. & PROFESSORE P. A. A. A. A. A.

PRO

Typis Xaverianae K. ORLEANSIENSIS  
MDCCLXXII



### EPITOME CONTENTORUM.



*Um fides justificans habeat formam, expenditur §. 1. Forma fidei Pontificie §. 2. Reformata, ejusdemque conceptus à Lutheranismò distinctivus §. 3. Arminiane & Sociniane §. 4, 5. Quibus opponitur forma fidei Lutherane, per quam justificamur, eaque non in actione nostra, sed in ἀλήθεια seu acceptione consistens §. 6. 7. Forma fidei Entusiasticæ, ex Papisimo & Osianrismo deducta §. 8. 9. 10. Cui opponitur denuò forma fidei Lutherane, non ad renovationem, neque ad gratiosam inhabitationem, sed ad justificationem, qua talem, attinens §. 11. Differentia specifica inter justificationem & renovationem operosius dilucidatur §. 12. Justificatio naturâ prior est renovatione, utut hæc ab illa ut plurimum nec subiecto, nec tempore separetur. Alius est actus; alius vero status sive continuitas justificationis. Momentum temporis, quo justificatio a renovatione distingvatur, quoque voluntas liberata agere incipiat, in praxi scrupulose haud querendum §. 13. Forma fidei justificantis a pietate non excluditur §. 14. Vivæ fidei forma & vivæ fidei signa differunt §. 15. Vita fidei vel τῶν ὁρίων accipitur, vel δευτέρας. Arminiani sub priori acceptione fidem ajunt includere in se obedientiam. §. 16. Fides incarnata Lutheri quid? Fides vel relative, vel active consideratur. Non hoc, sed illo modo eam spectamus, quando veram ejus formam hic pensitamus §. 17. Fides Lutheranorum non est cerebrina, nec tantum ens intellectus; neque apprehensio speculativa, sed practica §. 18. Est apprehensio fiducialis & fiducia apprehensiva, utrasque facultates, intellectum & voluntatem simul perficiens §. 19. Vera fides veram antecedit charitatem; & hanc producit, non modo ut actus intellectus, verum etiam ut actus voluntatis. Emen- datio intellectus & voluntatis mutua §. 20. in foro Theologico locum non habet §. 21. Orthodoxia & heterodoxia notant in casu recto intellectum; nihil- losecius in obliquo voluntatem. §. 22, 23, 24. Doctrina de forma fidei justi- ficantis sacris literis convenienter apud Lutheranos traditur. Nec pœni- tentia & conversio apud eos sunt entia intellectus aut nudi sine mente soni §. 25. Justificatio nostra, qua talis, non in nature reformatione, nec ju- stitie Christi in nobis percipienda operatione, verum in justitie Christi ex- trinse-*

A

trinfecus applicatae imputatione, consistit §. 26. Articuli de justificatione & renovatione caute sunt distingvendi §. 27. Non dividitur Christus in officio Mediatorio per receptam Lutheranorum doctrinam de forma fidei justificantis. Subjugatio peccati in nobis non est *ἀφελὸς*, neque *ἰλαστικός*, verum *ἀνακατανώλιμος*. §. 28. 29. Forma fidei justificantis non admittit B. O. tanquam partem salutis ejus, de qua Eph. II. 8. 9. agitur. Quid sentiendum de phrasi: Fides, quae per B. O. est efficax, salvat. B. O. in art. justif. non subordinantur, sed opponuntur fidei §. 30. 31. 32. Forma fidei vivacis, luctantis & *ἰσχυρότης* §. 33. Quo sensu Apologia A. C. fidem dicat virtutem §. 34. Nova obedientia ad formam seu essentiam fidei haud pertinet §. 35. 36. 37. Transitus ab uno extremo ad alterum in hac doctrina cavendus. Ultraque necessaria est, & fides & charitas §. 38. 39. Nexus fidei & honorum operum non est *ἀπλῶς* indissolubilis §. 40. Credunt enim justificandi *μὴ ἐργαζόμενοι*, & ita, ut ne habeant quidem justitiam operum, cum primis in ultimo beatæ analyseos momento §. 41. 42. Opera nos non sequuntur in morte *ἀπλῶς* loquendo, sed *κατὰ*, & præmiorum gratuitorum respectu §. 43. Actualitas fidei, ad justificationem pertinenti, ab actuali effectu fidei, ad sanctificationem pertinente, denuò dignoscitur; quodque hic posterior fidei in ipso *ἐνθάσῃ* termino competat, sine probatione sufficienti a quibusdam affirmatur, §. 44. 45. Occurritur dubio, quod opera fidelium exeuntium sint perfecta. Pietas & sanctitas agonizantibus cum primis necessaria. Discrimen inter opera luctantium & victorum cœlitum §. 46. 47. Satisfit objectioni, quod fides exeuntium non sit per mala opera efficax, quodque illi palmites frugiferi & oviculae Christi utiles maneant in media etiam morte &c. §. 48. Respondetur ad instantiam de motibus agonizantium tam exterioribus, quam interioribus §. 49. Diluitur oppositio, quod parum intersit, sive fides exeuntium fuerit solitaria, sive non §. 50. Ostenditur, quanti ponderis ac momenti sit hæc controversia §. 51. *Συνεργία* ac *τελείωσις* seu cooperatio atque consummatio fidei Jacobæ, §. 52. 53. Nihil officit nobis Paulinum illud Hebr. XII, 14. Sine sanctimonia nemo videbit Deum §. 54. Summoventur aliæ tres objectiones; quarum prima petitur a simultate temporis inter justificationem & renovationem; altera ab ignorantia practica momenti, inter utramque intercedentis. §. 55. tertia a fide exeuntium adhuc luctante §. 56. Luctationem fidei & comprehensionem ejusdem manifestissime discrevit Scriptura. Ratione illius, non hujus eidem coherent B. O. §. 57. Neque obstant varii actus interni, ex fide emanantes §. 58. 59. Quo consilio vocabulum FORMÆ retineatur in hoc foro

foro. §. 60. Num forma seu essentia fidei justificantis per tradita hæc non omnino destruat §. 61. 62. 63. Homo ne pulvisculum quidem optimorum quorumque operum, tentante Satana, retinet, secundum Lutherum §. 64. Opera transeunt, sola fide ad finem perseverante; opera impura sunt sola fide cor purificante, ibid. Praxis & œconomia tendentium a fide Lutante ad Comprehendentem ostenditur ex verbo Dei, nec non ex Martyrum & Christianorum primitivæ Eccles. institutis atq; exemplis, a nobis omnium saluberrime imitandis. §. 65. Clausula parænetica, irenica, & votiva §. 66.

## §. I.

**S**I quis ad rigorem composito sermone velit uti, is, mea quidem sententia, haud facile admiserit, formam proprie dictam fidei justificanti inesse; eo, quod actuum nulli dentur actus, nec formarum formæ, nisi quis tendere velit in innfitum. Nihilosecuius tamen aut ἐν πλάτει, aut ἀναλογικώτερον loquendo, formam aliquam sive rationem formalem, per quam in esse suo constituuntur, ipsis etiam accidentibus (quorum tamen esse recte vocitatur merum inesse) tribuere solemus. Atq; ita per formam fidei ipsam fidei essentiam, definitione ejusdem principaliter & verbo Dei conformiter significatam, ipsamque ejus differentiam specificam, quæ in definitione ejus maxime attendenda venit, quæque eandem ab aliis omnibus (a quibus essentialiter & specificè differt, quæque adeo sunt quidvis potius aliud, quam fides justificans) distingvit, intelligimus. Equidem haud abs re intersero: *Verbo Dei conformiter*. Nam veram fidem sine verbo Dei definire, nihil aliud est, quam hominem vere viventem sine vera vita, aut vere pium sine vera pietate, aut vere justum sine vera justitia, id est, verum insomnium sine vero somno comminisci; perinde, ac credere velle sine verbo Dei, idem est, quod ignem vulgarem sine ligno aliave materie combustili, aut flamulam ellychnii sine oleo alere, imò embryonem clausum, qua talem, sine matris alvo sustentare velle.

A 2

§. II.

§. II. Enimvero Lutheranorum, γνησίως ἢ ἀκρίβδηλως talium, maxime interest, genuinam hanc fidei justificantis formam non tantum vere & accurate nosse, sed & eandem a fide minus sincera quorumlibet Heterodoxorum discernere posse. Velut enim religiones Christianorum, in sua sic dictorum latitudine, inter se differunt qua fidem objectivam, sive quæ creditur; Ita nec de fide subjectiva, sive ea, quæ creditur, inter ipsas convenit. Pontificiorum quidem certe, de salute dubitare jubentium, fides est non-fides, utcunque per charitatem sit formata, id est, formam suam a charitate & bonis operibus accipiat. Unde negant Patres Concilii Trid. Sess. VI. quam apertissime, *fidem justificantem esse fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum.* At talem cum verbo Dei inculcant Lutherani. Duplex porro justificatio in scholis eorundem antiquitus traditur, prima & secunda. Secundum illam homo ex injusto fit justus; secundum hanc ex justo fit justior. Secundum illam docent, fidem imputari per justitiam inchoatam, i. e. per viam & dispositionem ad justitiam, ita, ut propter hanc fidem Deus credenti peccata remittat, & justitiam completam infundat. Secundum hanc vero statuunt, fidem actualem, conjunctam cum reliquis operibus iustitiæ, imputari ad justitiam, quam opera mereantur, quatenus fiunt ex fide & gratia Christi; sic enim ea non hominis, sed Christi Deique esse opera. Et ita triplex fidei imputatio in utraque hac justificatione ex eorum mente contingit: una, ut dispositionis ad inchoatam justitiam; reliquæ duæ ad justitiam completam, eamque vel habitua-lem, vel actualem. Vid. instar omnium *Cornel. a Lapide Comment. ad Rom. IV, 3. 6. p. m. 65. 62. 63.* At hæc e scholis Lutheranorum exulat justificationis geminatio, verboque Dei revelato contrariatur.

§. III.



§. III. Reformati ejusmodi fidem docent, quæ pro objecto habeat Redemptorem particularem, sive, cujus forma sit apprehensio Christi pro solis electis mortui; pro iis, inquam, solis, fide justificante donandis, & per eam ad salutem infallibiliter perducendis, ceu loquitur *Concil. Dordrechtanum cap. II. actor. p. 251.* Enimvero cum actus specificentur ab objecto, specieque differant, rō omnes redemisse, & rō non omnes redemisse; idcirco Lutherani ac Reformati, quatales, diversam utique fidem justificantem profitentur, illi quidem ex verbo Dei sic argumentando: Pro omnibus Christus est mortuus. E. & pro me: hi a. sine verbo & contra verbum Dei sic: Pro aliquibus Christus est mortuus. E. & pro me. Nequid adjiciam de eo, quod illi fidem amissibilem, hi inamissibilem; illi cum resistibilitate, hi cum irresistibilitate conjunctam; illi talem, quæ sit electionis causa seu ratio a priori; hi talem, quæ sit electionis effectus; *per cap. 1. 3. & quintum Synodi Dordrechtanæ defensum atq; propugnatum eant. Conf. B. Hutterus Iren. vere Christ. contra Parem pag. 25. B. Hulsemannus Calvin. irrec. pag. 73. & seq. ac B. Schertz. System. pag. 515. & seqq.*

§. IV. Arminianos in tradenda fidei forma socinizare, & Socinianos papizare qui dixerit, nihil quicquam errabit. Ita quippe *δογματιζοντων* illi *Apol. fol. 114. a.* Socinum fundamentaliter a recte sentientibus non dissidere, dum obedientiam fidei formam vocet, cum alii vocent fructum & effectum; litemque adeo pene totam esse de respectibus Metaphysicis, quos fides vera & viva habeat ad justificationem. Iidem manifeste contendunt *Apol. fol. 111. a. b. 144. a.* quod fidei actus sit actus obedientiæ; quodque fides sit in per bona opera præcipuum *fol. 73. a.* quodque ut actus ioster in justificationis negotio sit considerandus, *fol. 111. b.*

§. V. Socinianorum autem coccyfmi vel ex Racovien-  
 si Catechismo dudum auditi sunt *cap. I X. p. m. 246. & seqq.*  
 statuentium, fidem, quam necessario consequitur salus,  
 duo comprehendere, unum, ut non solum Deo, sed etiam  
 Christo confidamus; deinde, ut Deo obtemperemus non  
 in iis solum, quæ in lege per Mosen lata præcepit, & per  
 Christum abrogata non sunt; verum etiam in iis omnibus,  
 quæ Christus legi addidit; Item, obedientiam sub fide com-  
 prehendi, quia Christus vitam æternam sibi obtemperan-  
 tibus promiserit, fides sine operibus mortua sit, & fides  
 Abrahæ ex operibus fuerit consummata *Jac. II. 26. 22.* qua-  
 propter etiam in Scripturis homines pios & Deo obedien-  
 tes duntaxat fideles vocari: Item, in iis locis, ubi Apostolus  
 fidem opponat operibus *Rom. III. 28. IV. 5. Galat. II. 16.*  
*Eph. II. 8. 9.* de operibus ejusmodi agi, quæ & perfectam  
 & perpetuam obedientiam contineant, qualem sub lege  
 Deus ab hominibus requisiverit; verum non de iis operi-  
 bus, quæ obedientiam, quam Deus a nobis in Christum cre-  
 dentibus requirat, comprehendant.

§. VI. His *ἡ ἀδιατριβὰς* etiam alibi opposuimus Paulum,  
 qui inveniri voluerit, non habens suam (non propriam, nec  
 propriæ obedientiæ) justitiam, quæ ex lege, quæq; ex præ-  
 ceptis sive Veteris, sive Novi Testamenti resultaret; sed  
 eam, quæ ex Deo est per fidem, sed alienam, sed Christi ju-  
 stitiam, dicturus ex *Esaia XLV, 24.* In Domino mihi justi-  
 tia. *Phil. III. 9.* Inde Höpffnerianum τὸ ἀκυσμα deprehen-  
 banus *πάσης ἀποδοχῆς ἀξίον* *Disp. I. de justif. pag. 48.* ipsam  
 nempe justitiam, qua justificamur, non esse in nobis, sed in  
 Christo, inhæsiue; nostram vero fieri per acceptionem fi-  
 dei. Ugebamus insuper *κατὰ βίαιον*, si obedientia esset fi-  
 dei formæ, cum fidem non esse posse *πληροφροσίαν* perfectam  
 aut vere divinam, neque *ἐλεγχον* & *ὑπόστασιν*, neque *παρρησίαν*  
 aut *πεποιθήσιν*; desperandum quippe nobis fore, eo, quod obe-

obe-

obedientia nostra nunquam sit perfecta, neque in iudicio Dei possit consistere.

§. VII. Afferebamus tandem, spuriam hanc Socinianæ & Arminianæ fidei formam explosuri, fidem veram, ratione propriæ & genuinæ suæ formæ spectatam, organon justificationis potius *ληπτικὸν ἢ δεκτικὸν*, passivum aut receptivum (potentia passiva, obedientiali & non-repugnantia præditum) quam *ἐνεργητικὸν* sive activum esse. *Ὅσοι ἔλαβον*, ait Johannes, *Evangelii cap. I. 12. Quotquot receperunt eum* (fere ad instar annuli, recipientis gemmam, aut terræ, recipientis pluviam) *bis dedit potestatem, ut filii Dei fierent.* Sic *Ethnici* dicuntur *καταλαβῆναι*, apprehendisse (manu quasi mendica, quæ eleemosynam accipit non propter emendicandi actum, sed simpliciter ut mendica, ut *ὄργανον καταληπτικὸν*, omne pretium thesauro accepto imputans) *justitiam, quæ est ex fide Rom. IX. 30.* Atque adeo vocem *apprehendendi* Grammaticè esse quidem activam, sed significatione revera passivam, patet. Quid enim aliud est *apprehendere*, quam *oblata bona recipere*? Et Paulus eo ipso, dum credit, fatetur, sese *καταληφθῆναι ἀπὸ τοῦ χριστοῦ Phil. III. 12.* Vid. *Gerhard. LL. de justif. §. 177.* & *Dannhaw. Hodosoph. p. m. 855. & seqq.* Ecce ergo! Scripturam ipsam ubi ducem sequimur, non certe Metaphysicos aut a Metaphysicis excogitados, sed a divina potius revelatione determinatos esse dicimus respectus illos, quos vera & viva fides ad justificationem obtinet. Neq; enim Scriptura, ubi veram fidei formam nos docet, eandem describit, ut obedientiam nostram, qua Christi vel præceptum, vel exemplum sequamur; sed potius, ut instrumentum seu medium, quo Christi obedientiam, ceu donum, apprehendamus, nobisque imputatam & individualiter appropriatam habeamus. Conf. *Venenum Matæol. Armin. a me impugnatum pag. 33. & seqq.*

§. VIII.

§. VIII. Qualem fidei justificantis formam, qualemq; centonem, ex Papismo & Osiandrisimo confutum, nobis exhibere consueverint Enthusiastæ cum asseclis, intelligi potest ex *B. D. Bajeri nostri Collat. doctrinæ Quaker. & Protest. cap. X. Thes. & Antithes. 2. ubi W. Caton ait: & muß nothwendig die Rechtsfertigung / damit sie gerechtfertiget seyn durch den Glauben an ihm / in Ihnen seyn. Thes. & Antithes. 3. Barclajus causam justificationis appellat revelationem Jesu Christi in anima, qui convertat & renovet animum.* Ibidem Andreas Osiander: *Christo, inquit, est credendum; tum habitat in cordibus nostris per fidem, Et sic est nostra justitia.* In Decl. solid. F. C. art. 3. p. 682. sententia Osiandri sic effertur, *justitiam fidei esse justitiam Dei essentialem, quæ sit ipse Christus, ut verus, naturalis, & essentialis Dei Filius, qui per fidem in electis habitet, eosque ad bene operandum impellat, & hac ipsa ratione eorum sit justitia.* Et Schwenkfeldius affirmat, Osiandrum recte docuisse, nos non solum imputativa justitia extra nos propter obedientiam Christi justos esse, sed vera & essentiali Dei justitia: Christum in nobis habitantem esse illam essentialem justitiam. *Weigelius ibidem: Sie (die Lutheraner) wollen nicht gerne Osiandristen seyn / denn es kostet den alten Schalk und Balck. Sie müssen durch wesentliche Einwohnung Jesu Christi den alten Menschen tödten / und gar nicht regieren lassen / und müssen im neuen Menschen leben in vollkommener Gerechtigkeit und Heiligkeit.*

§. IX. Uti ergo verbum Justificare, dicente Osiandro *ibid. Thes. & Antithes. I. in negotio justificationis significat aliquem, qui non justus est, sed impius, re ipsa & in veritate justum efficere; e contrario autem Philosophicus, carnalis & impræmeditatus est sermo, Justificare esse forense verbum, ac significare reum judicio justum ac absolutum pronunciare, quemadmodum populus Romanus Scipionem*

nem

nem, cum accusatus esset Reipubl. male gestæ, pro justo habuit & absolvit: Ita justificatio quoque hominis coram Deo secundum Quakeros idem est, quod sanctificatio, id est, actio, qua homo per mutationem realem & sibi intrinsicam fit justus & sanctus. Neq; vero ea tam productio est habitualis justitiæ in nobis, quam quod Christus Jesus per Spiritum suum seu lumen internum & immediatum semini pravo, quod in nobis est, prævalens, in nobis habitat, & bona opera in nobis efficit; qua ratione nos simul Deus gratiose acceptet.

§. X. *Ibid. Thes. & Antithes. V.* Osiander errorem esse autumat, si dixerimus, nos fide tantum esse justos. *Schwenkfeldius* insuper exhibet hanc propositionem, perinde ac Osiander: Sola fides justificat. Et *Weigelius*, justitiam Christi imputativam rejiciens: Es heist glauben / ait, das ist / Christo nachfolgen: Also kommt der Todt Christi in sie. Item: Ein trefflicher Irrsal ist es bey denen falschen Christen / daß sie einen andern lassen das Gesetz thun / leiden / sterben / und sie wollen (ohne Buß) sich behelffen mit der justitia imputativa. Nein in der Wahrheit; Es hilfft dich nichts von aussen an; Spring hoch oder nieder. Vita Christi in die muß es thun. *Vita autem Christi in nobis* (ἐπιζήσεις B. D. *Bajerus*) *in actu secundo spectata, importat utique motus & actus sanctos, aut opera bona, saltem interna, a Christo in nobis efficienter producta.*

§. XI. Verum in hac renovatione, sanctificatione & gratiosa Dei inhabitatione ipsammet justificationem nostram coram Deo formaliter consistere, Discipuli Christi & Lutheri merito inficiantur, & magno consensu docent cum *Decl. solid. F. C. p. 695.* inhabitationem Dei non esse justitiam illam fidei, de qua Paulus agit, eamque justitiam Dei appellet, propter quam coram Deo justi pronunciemur; sed habitationem Dei sequi antecedentem fidei justitiam; quæ nihil  
B aliud

*aliud sit, quam remissio peccatorum, gratuita acceptatio peccatoris propter solam obedientiam & meritum perfectissimum unius Christi.* Multo minus ergo lumen aliquod immediatum agnoscunt, per quod ejusmodi forma fidei, quæ per ipsammet renovationem & sanctificationem nos coram Deo justos constituat, efficiatur atque producat.

§. XII. Compluribus utique fraudi fuisse deprehendimus ignorantiam distinctionis, in scholis Orthodoxorum tritissimæ, inter specificationem subjecti justificandi, quæ talis; & specificationem sive descriptionem ejusdem per ea, quæ fidem sequuntur: cujusmodi sunt motus spirituales, opera charitatis, variæque virtutes Christianæ. Accessit ignorantia, aut supina certe non-advertentia solidæ atque orthodoxæ doctrinæ de vero, non tantum nexu, sed & discrimine justificationis & renovationis, de quo scitam nobis reliquit Diatriben, anno 1693. Jenæ habitam, ἡ ὄντι ἐν ἀ-  
γίῳ & jamjam laudatus D. *Bajerus*. Incedendum hic caute, ne ex altera parte in securitatem carnalem cum mundo hodierno; ex altera vero in superbiam spirituales incidamus, & justitiam coram Deo valentem quæramus aliam, quam Deus nobis in verbo suo revelato ostendit. Utrique occurrere errori constituerat Noster, & suam isthanc Disputationem (ex 1. *Joh. 1. 7. Si in luce ambulamus - Sanguis J. C. emundat nos ab omni peccato*) præter Pontificios, Socianos & Weigelianos, aliis etiam *Pharisaizantibus* voluerat oppositam, graviter & accurate monens §. 3. *hoc tempore non minus inter illam Scyllam (carnalis securitatis) & hanc Charybdin (spiritualis superbiæ) navigandum esse, ac vel experientiam docere, quod contrarii illi errores veriori doctrinæ sic insidiantur, ut Ecclesiæ nostræ hominibus jam hunc, jam illum insinuari; aut saltem, quasi alterutrum admittere necesse sit, fingi & perhiberi videamus.*

§. XIII.

§. XIII. Enimvero super eo jam pridem convenit inter genuinos orthodoxiæ possessores, quod actus justificationis sua quidem natura prior sit actu sanctificationis & renovationis; hic tamen *ως ἐπὶ τὸ πᾶν* seu ut plurimum (Conferenda enim sunt, quæ inferius monebo, imprimis §. 51. & 55.) cum illo statim conjungatur. Id quod *B. Ægid. Hunnius Tom. I. Op. p. 695.* ita exprimit, *remissionem peccatorum & renovationem siue sanctificationem NEC ESSE SUBJECTIS. NEC TEMPORE DISJUNCTAM aut SEPARATAM.* Distinxerunt insuper hi jamdudum inter *justificationis actum*, quo *aditum nacti sumus fide in gratiam hanc Rom. V. 2. & statum siue continuitatem, cujus ratione stamus in gratia illa, & gloriamur*; Ibid. Conjungitur ergo sanctimonia vitæ cum justificationis non actu, sed statu. Unde Johanni Apostolo (*loc. cit. de ambulanti- bus in luce, quos sanguis J. C. emundat, loquenti*) sermonem esse potius de statu & continuitate justificationis, quam de justificatione in fieri, annotat *B. Bajer. l. c. §. 45.* ita, ut in praxi Christiana non tam scrupulose disquiri soleat, aut debeat, de temporis momento, quo vel primum initium conversionis a progressu, vel conversio, dum perficitur, ab initio renovationis strictè sic dictæ distingvatur (momento, inquam, quo fides ipsa, qua justificamur, producat, & quo statim etiam justificemur) quam de eo rectè quæri, utrum simus sub gratia conversionis, vel non; utrum revera renovemur, an non. Quorsum accommodat notum istud *B. Chemnitii LL. de lib. arb. cap. III. p. 199.* *Non potest in puncto aliquo Mathematico ostendi, ubi voluntas liberata agere, incipiat, cum aliquando, & pro ratione certi status, homo, qui justificatus est, tamen seposita quæstione de præterito, per pœnitentiam & usum Evangelii tendere possit ad fidem & justificationem, velut jam non demum consequatur ipsam, sed ejus confirmationem.* *Ibid. §. 49.*

§. XIV. Nollem itaque controversiam inter nonnullos fuisse ortam, num pietas etiam ad formam fidei justificantis pertineret. Gemina enim cum pietatis, tum justificationis acceptio, dextre evoluta, scrupulum eximit. De voce pietatis notum est, eam accipi vel *ὀλικῶς καὶ γενικώτερον*, prout religionem universam denotat, utpote cujus est *ἡ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία* 1. Tim. VI. 3. *Ἔ ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν*, Tit. I. 1. Hoc autem sensu tam credenda, quam facienda, totumque adeo Dei cultum, non tantum in actibus voluntatis, tam elicitis, quam imperatis, tam in simplicibus, quam complexis; sed & in actibus intellectus, v. g. agnitione Dei & rerum divinarum consistentem, & utriusque Decalogi tabulae convenienter instituendum, complectitur; quo pacto necessarium est, ut homo renatus atque illuminatus totam fidei analogiam, salutis œconomiam, & Themeliologiam, a foedere Evangelico dependentem, practice excolat, noveritque v. g. nullam peccatorum remissionem sine vera fide, nullam fidem sine vera poenitentia, nullam Patris gratiam nullamque communionem cum Christo sine Spiritu ejus, nullam communionem Spiritus sine redemptione & merito Christi, nec ulla opera vere bona sine fide, nec ullam fidem sine verbo & Sacramentis, neque observantiam præceptorum secundæ tabulae Decalogicæ sine observantia præceptorum primæ &c. locum habere; horum insuper abnegationem sui ipsius, horum crucifixionem carnis & mortificationem veteris Adami, horum cætera quotidianæ imo continuæ poenitentiae exercitia non pædagogice amplius, multo minus enthusiastice, sed dependenter a verbo & fide revocari oportere: vel *μερικῶς καὶ εἰδικώτερον*, prout illam cultus nostri partem in specie significat, quæ proprie Deum respicit, ac eatenus *δικαιοσύνη*, καὶ *σωφροσύνη* contradistinguitur, Tit. II.



*Tit. II. 12.* Etsi igitur posteriore sensu pietas effectus potius est, quam forma fidei justificantis; priori tamen sub acceptione pietas non excludit, sed vel maxime sub ambitu suo comprehendit fidem justificantem; & sic eidem non impietas modo, sed ipsa quoque infidelitas opponitur. Porro si de justificationis statu & continuitate loquamur, pietatem atque sanctitatem ab ea neutiquam excludi, omnino profiteamur.

§. XV. Quemadmodum præterea *B. Hulsemannus* suo jam tempore monuit, nequaquam confundi debere *vivæ fidei formam*, & *vivæ fidei signa*; *Dialys. p. 347.* & sequ. eo, quod juxta pronunciatum *Apologiæ A. C. pag. 81. prius* (videlicet prioritate naturæ) *justificati reputemur propter Christum, quam diligamus, ac legem faciamus, etsi necessario sequatur dilectio*; & *Corpus Julium* notanter dicat: *Der Glaube hat nicht das Leben / und ist nicht lebendig / darumb / daß er die Liebe neben sich hat*: Ita & hac nostra ætate id inculcandum est, qua super dogmate de vera vivæ fidei forma a Neotericis quibusdam inauspicatæ cientur lites. Enimvero ante omnia duplex vivæ & justificantis fidei consideratio videtur iisdem loquendis haud incommode posse adhiberi.

§. XVI. Nimirum vita illa, a qua fides denominatur viva, *πρώτος* seu *primario* & respectu justificationis unice in apprehensione meriti Christi fiduciali consistit *Gal. II. 20.* quæ est actualis totius cordis & voluntatis in Christo salutariter agnito recumbentia. Hæc ipsa vita spiritualis est terminus ad quem regenerationis nostræ, prout docet *B. D. Königius Theol. Acroam. pag. m. 182. Per fidem* quippe *filius Dei* evadimus *Joh. I. 12.* Hæc ipsa vita spiritualis a Spiritu Sancto tantum efficienter (nemo enim Jesum Christum Dominum appellare, aut in eum credere potest sine Spiritu S.) a Jesu Christi autem justitia & merito imputative & applicative (prout videlicet nos vivimus in fide Filii Dei, qui

nos dilexit, & semetipsum pro nobis tradidit) consistit. Δευτέ-  
 ρως autem sive secundario & respectu sanctificationis vita fi-  
 dei consistit in virtute progenerandi opera *Gal. V. 6.* Unde  
 deficientibus operibus mortua est fides. *Jac. II. 17. 26. Vid. Dn.*  
*D. Fechtius in Syllog. Controv. recentior. Disp. XXX, §. 5. 6.*  
 Alii docent, vitam fidei interdum ita accipi, prout est entele-  
 chia seu actualitas relativa & quasi principium formale; sci-  
 licet fiducialis apprehensio meriti Christi: interdum vero  
 ita, prout per emanationem quasi hinc necessario prodit vi-  
 talis operatio per charitatem. Hoc posteriore sensu antea  
 §. 10. vitam Christi in nobis per motus & actus sanctos seu bo-  
 na opera, a Christo in nobis efficienter producta, *B. D. Bajer.*  
 noster volebat descriptam. Quoties ergo dicimus, chari-  
 tatem seu B. O. non pertinere ad vivam fidem; toties intel-  
 ligimus vitam fidei seu vitam spiritualem *πρώτως*, prout  
 nempe respectu justificationis pro Christi, seu objecti sui  
 formalissimi, apprehensione sumitur, & prout ex ipsa illa  
 receptione meriti Christi viva existit. Possis appellare vi-  
 tam justitiæ imputatæ, idque ex verbo Habacuci *cap. II. 4.*  
*Justus sua fide vivet.* coll. cum *Rom. I. 17. Gal. III. 11.* Quoties  
 autem docemus, charitatem sive B. O. pertinere ad vivam  
 fidem; toties intelligimus vitam fidei seu vitam spiritualem  
*δευτέρας*, & in respectu sanctificationis, prout nempe fides  
 seu viva ex bonis operibus cognoscitur ac declaratur, &  
 prout eidem fides mortua *Jac. II. 26.* opponitur. Possis  
 vocare vitam sanctimoniam inchoatæ. Enimvero caven-  
 dum, ne, dum hæc audimus, incidamus in errorem illum  
 gravissimum, quem occulunt Remonstrantes sub vivæ fi-  
 dei nomenclatura. Fidem enim vivam inde & ideo dicunt,  
 quod per obedientiam præceptorum Christi veluti anime-  
 tur atque vitam consequatur. Ideoque actum fidei ajunt  
 includere in se totam obedientiam hominis Christiani. *B. Ca-*  
*lov. Confid. Arminianismi p. 278.* §. XVII.

§. XVII. Pensitari insuper meretur *fides incarnata*, quam Theander Lutherus ita nominavit, & de qua scitam olim B. Præceptor meus Dn. D. Niemannus Disputationem Resp. Dn. M. Büttnero, Ministerii Stadensis hodie Membro venerabili & Amico meo charissimo, emisit. Extat hoc singulare Lutheri in Com. ad Ep. Gal. fol. m. CLVIII. a. ubi fidem *incarnatam* ipsemet per *fidem operantem* exponit, inter alia sic differens: *Hoc modo etiam distinguere solemus fidem, quod fides aliquando accipiatur extra opus, aliquando cum opere. Ut enim artifex varie de sua materia, & hortulanus de arbore vel nuda, vel gestante fructum, loquitur: Ita & Spiritus S. in Scriptura varie de fide loquitur: jam de fide (ut sic dicam) ABSTRACTA vel ABSOLUTA, jam de fide CONCRETA, COMPOSITA seu INCARNATA. Fides absoluta siue abstracta est, quando Scriptura absolute loquitur de justificatione, ut cernere est in Epistola ad Rom. & ad Galat. Quando vero Scriptura loquitur de præmiis & operibus, tum de fide composita, concreta siue incarnata loquitur. Hujus fidei exempla aliquot recensebimus, ut: Fides per dilectionem efficax: Hoc fac & viues: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei: Qui fecerit hæc, vivet in eis: Declina a malo & fac bonum, &c. In istis & similibus locis (quales sunt innumeri in sacris literis) ubi fit mentio de faciendo, Scriptura semper loquitur de FIDELI FACERE. Accipitur proinde fides justificans vel *correlative* & ratione objecti (perfectissimæ Christi obedientiæ) in quo propositam & a Deo oblatam justitiam apprehendit. Et sic est causa salutis in articulo de justificatione: vel *active* & ratione effectus, quatenus est causa bonorum operum siue charitatis, totiusque obedientiæ nostræ. Et sic est habitus, cum aliis virtutibus Christianis necessario conjunctus in articulo de sanctificatione. Vid. Dn. D. Olear, Theol. Moral. Tab. XVII. Quod si ergo*

si ergo

si ergo vitam spirituales in J. C. retulerimus ad *δεικτικὴν* potius illam, quam *ἐνεργητικὴν* hanc fidei justificantis considerationem ; *ἴδεν ἂν πλημμελεῖσαι δοξάζαμεν* : verum hypotyposi *ὑγιαίνοντων τῶν λόγων* conformiter docebimus, eam ipsam vitam spirituales ad veram fidei formam maxime pertinere; cæterum opera charitatis esse justificantis illius, veræ illius, vivæque illius fidei (non formam, sed) signa, fructus & effectus. *Lutherus Comm. in epist. ad Galat. fol. LXXIX. b. dixit, Christum formare & imbuere fidem, vel formam esse fidei.*

§. XVIII. Falsum autem est, ex communi doctrina & praxi Lutheranorum veram fidei formam genuinumque & sacris literis convenientem conceptum erui non posse, quin fidem Lutheranorum esse cerebrinam, aut hos fidem cordis facere ens intellectus: cum vel ii, qui Theologiam vix a limine salutarunt, noverint, *πεποίθησιν* illam, quæ pars fidei justificantis est, actum voluntatis esse. Ipsa quippe in star omnium prolegomena *Systematis Theologici Scherzeriani pag. 3.* satis clare hanc usurpant vocem: **IPSA ETIAM FIDES NON IN NUDA SPECULATIONE CONSISTIT.** Ubi *ὑπερχόντως* citatur *Jacobeum* illud cap. II. 9. fidemque practicum quid esse, innuitur. Conf. etiam *Breviculum*, ubi §. 108. Suareziana phra sis, quod fides ex habitu intellectus ac voluntatis confletur, laudatur. *B. Dannbawerus Hodosoph. pag. 767.* Est, inquit, *apprehensio fidei non nuda, aut aliqua imaginatio, quæ solo intellectu absolvatur, vel in solo intellectu subsistentiam habeat, qua ratione in Copernici mente subsistebant eclipses, multos post annos futuræ, aut Epicyclus lunæ in mente Ptolemæi. Quid enim hoc habet eximii? An ita exhaurietur emphasis Paulina in voce Hypostasis, præ qua exclamat Chrysostomus ad illum locum: Βασὶς οἷα εἶπεν;* Non est actus ludicrus, qui speculetur rem sine fructu. Deus enim

enim

enim in re summe seria non ludit. Sed actus in super voluntatis, appropriativus, βίας κός, hospitalis &c. Ita certe speculationem haud esse fidem Lutheranorum Mart. Chemnitius paucis edocuit Exam. Concil. Trid. de fid. justif. p. 292. Fides, inquit, versatur circa suum objectum non frigida cogitatione, non generali & superficiali assensione; sed ita, ut agnoscat, intueatur, expetat, quærat, apprehendat, accipiat, complectatur, & singulis credentibus applicet in promissione Christum cum omnibus suis meritis, & in Christo misericordiam Dei, remittentis peccata.

§. XIX. Licet in super B. Hutterus noster in exasciato & amuffitato L.L. Theol. Compendio ad fiduciam referat illud, quando credens in conscientia de certitudine earum rerum, quas credit, convincitur; eo tamen nomine traducendus aut ludibrio imprudentiorum exponendus haud erat; siquidem α) fiduciam verbis his non describit, ut loquuntur Scholæ, formaliter, sed materialiter; β) de convictione non nudi assensus (qua ratione ad secundam fidei partem illa sua verba retulisset) sed fiduciali loquitur. Ita nempe Dn. D. Olearius quoque l. c. ostendit, fiduciam, quæ est actus fidei formalis, & ex parte voluntatis contingit, in quatuor speciales actus diffundi, nempe desiderium fiduciale meriti Christi, apprehensionem fiducialem, adhæSIONem fiducialem, & recumbentiam fiducialem, sive quietem super apprehenso & sibi per apprehensionem voluntatis unito Christo. γ) fidem non pro ente sive accidente, uni tantum animæ facultati inhærente, venditavit ὁ μακαρίτης, sed pro tali potius qualitate, quæ subjectum quod habeat genuinum, videlicet intellectum & voluntatem. Unde si spectatur in loco justificationis, sive prout justificata & salvifica est, neque dici debet ens solius intellectus, neque actus solius intellectus, aut assensus in cerebro; neque

C

tamen

tamen etiam ens solius voluntatis ; sed utrique potius facultati, tam intellectui, quam voluntati, inesse censeo. Vid. *B. D. Dorscheus Theol. Zach. part. 2. pag. 59. & seq.* Huc referri potest, quod tradidit *B. Höpfnerus Disp. XII. de justif. p. 1065.* vocem fidei pertinere ad classem eorum vocabulorum, quæ dicantur *μετά συμπλοκῆς*, i. e. complexa sint, geminumque includant conceptum.

§. XX. Neq; charitas est efficax per fidem, sed fides per charitatem ; atq; ita fides arboris ; charitas autem fructus similitudinem nobis offert ; tantum abest, ut hoc quidem pacto fructus arborem, cujus fructus est, antecedit. Ecquis præterea Orthodoxorum unquam sensit, fidem intellectualem, quæ non simul sit actus voluntatis, dilectionem cordis producere ? Ecquis saniorum Philosophorum negavit, voluntati competere imperium in ipsum intellectum, perinde, ac Reginae competit in Consiliarium ? Numquid ergo Regina Consiliarium corrigere aut emendare nequit ? Voluntas sane jure suo ac libertate, sibi per essentiam competente, utitur frequentissime, & intellectui imperat, quid sit cogitandum meditandumve : Prohibet, jubetque subinde, ut ab hac aut illa cogitatione absteineat intellectus. Ubi etiam inter duo bona, æqualiter eligibilia, judicium determinare suum hic nequit ; illa tamen alterum ex his eligit præ altero. Uti ergo voluntas regit potentiam cognoscitivam : Ita corrigit subinde ; ita emendat. Fateor, ab intellectu voluntatem etiam emendari ; ea vero emendatio duntaxat per repræsentationem ; quæ autem est voluntatis emendatio, per imperium, adeoque sublimiore modo, peragitur. Emendare potest Consiliarius Reginam ; numquid autem idcirco Regina, utcunque cæca, Consiliarium emendare, idque eminentiore modo, non potest ? Imo vero, ceu dixi, potest, ut imperare, ut regere, ita & corrigere.

§. XXI.

§. XXI. Et si autem in foro Philosophico de facultatibus animæ res ita habet, ut superior inferiorem emendare queat, perinde, ac membra corporis organici suavi quadam harmoniâ & subordinatione sibi mutuo opitulantur, seque mutuo quasi dirigere & corrigere, quanquam dependenter ab anima, solent: Tamen emendatio ista ad forum Theologicum, ubi agitur de forma fidei justificantis, de *ἐντελεχείᾳ* ejusdem relativa, de *ἐνεργείᾳ* ejusdem sive virtute activa, de productione partium ejus essentialium, notitiæ & assensus in intellectu, fiduciaeq; in voluntate, præpostere videtur accommodari, imo nonnihil Pelagianismi & Arminianismi subolere. Etenim in hoc quidem foro nulla prorsus animæ potentia emendare aliam potest; sed natura sua omnes eadem *ἀδυναμία*, & quidem totali, laborant. Intellectus ipse cæcus est, non Consiliarius; voluntas serva, non Regina, Tantum igitur abest, ut altera hic emendet alteram facultas in negotio credendi; ut utraq; indigeat auxiliis gratiæ & emendatione sive correctione supernaturali, per media divinitus ordinata, auditum nempe verbi & Sacramentorum usum suscipienda. Voluntas igitur est opus supero Emendatore, qui auferat servitutem ac libertatem sufficiat *πνευματικὴν*, qui auferat cor lapideum ac det carneum, qui trahat nos funibus hominum, alias minime venturos ad Christum, quique ex nolentibus volentes, ex resistantibus obsequentes reddat. Sed & intellectui opus est eodem Emendatore, qui auferat cæcitatem, nobisq; veram & salvificam donet illuminationem. Utraq; hæc utriusque facultatis emendatio, ad fidei salvificæ generationem necessaria, si pie & verbo Dei convenienter expenditur; frustra erit, fidem aliquam cerebrinam excogitare, ejusque originem inde accersere, quod, ab intellectu voluntatem emendari posse, complures Philosophi sibi habeant persuasum.

§. XXII. Est quidem opinio, in se spectata ut actio elicitata & simplex, ens non voluntatis, sed intellectus; opinionis tamen præ opinione electio non minus voluntati, credo, assignanda venit, quam intellectui. Ratio est; quia sic non amplius ut actio simplex, quæ uni saltem facultati competit & extra eius finem non progreditur, sed ut actio complexa spectatur. Unde sua sponte concidit assertio illa, Orthodoxiam & heterodoxiam connotare solum intellectum. Licet enim connotent intellectum; connotant tamen nihilominus voluntatem eo, quem ostendimus, modo. Ecquid, amabo, tritius in scholis, quam ad hæresin in rigore talem non ignorantiam intellectus modo, sed & pertinaciam voluntatis requiri, item, hæresin esse opus carnis &c? Idem ex lege oppositorum de Orthodoxia judicandum. In recto, quod ajunt, ea quidem intellectus; in obliquo tamen etiam voluntatis perfectionem importat; adeoque Theologus Orthodoxus, tam qua ministrantia, quam sanctificantia dona talis esse omni omnino jure debebat. Ecquid notius, confessionem oris, ad fidem cordis *Rom. X, 9.* accedentem, haud a solo intellectu, verum quam maxime insuper a voluntate, tanquam actionem voluntariam, proficisci?

§. XXIII. Mala porro necitur sequela: Dissensus Theologorum rarissime est de faciendis; sæpissime de credendis. E. fides salvifica apud Lutheranos resolvitur in fidem intellectualem. Vitia quippe Theologorum, si qua erant, ipsi profecto Lutheranorum fidei non erant tribuenda. Deinde fides objectiva cum subjectiva hic confunditur. Ecquid tandem dissensus Theologorum quorundam ad productionem aut constitutionem fidei? Si dicas, nihil aliud a Theologis dissentientibus intendi, quam fidem intellectualem; hoc certe tibi affirmanti probandum incumbet.

Sin



Sin obtendas, solam fidem intellectualem, ejusque confessionem, pro damnante aut salvificante venditari; id ipsum demum supponis, quod erat in principio, nempe tam heterodoxiam, quam Orthodoxiam nullo plane respectu in voluntatem cadere, sed solum afficere intellectum, cum tamen aliud jamjam ostenderimus.

§. XXIV. Symbolum Athanasianum nihil plane de rebus voluntatis, sed tantum de mysteriis ad intellectum pertinentibus, quæq; in cerebro sunt, non in corde, disponere, tam absolum est, ut ab ipsis statim verbis ejusdem initialibus refutetur: Ὅσις βάληται. Doctrinam a. & fidem salvificam si quis pro Synonymis agnoscat, iterum non fidem qua, sed fidem quæ intelligit. Præterea doctrinam esse ens intellectus, exclusâ voluntate, unde quæso, probabitur? Doctrina utique non reddit salvum cor calcatum, petrosum aut spinosum; inde tamen non sequitur, nullam doctrinam salvam reddere. Ἀγραφοῦν profecto καὶ ἀντίγραφοῦν hoc est assertum. Nec evincitur aliud, quando objicitur: Non mutabat Judas doctrinam; Manebat Orthodoxus, & tamen damnabatur. Ita habemus salvificum damnans, sive ferrum ligneum. Rehero enim a) esse fallaciam non causæ, ut causæ. Non damnabatur Ischariotes ideo, quia doctrinam non mutabat; aut ideo, quia Orthodoxus manebat: sed ideo, quia doctrinam corde spinoso, avaro ac Diabolico susceperat. β) Id, quod certa ratione salvificum est, certa quoque ratione damnans esse potest: ceu verbum Dei odor vitæ est in credentibus, & tamen etiam odor mortis ad mortem evadit in improbis atque infidelibus. Tantum abest, ut inde ferreum lignum exculpi jure possit.

§. XXV. Quid multa? Formam fidei justificantis & conceptum ejusdem genuinum sacrisque literis convenientem ex communi doctrina & praxi Lutheranorum

(haud φαινόμενως & secundum dici, verum ὄντως sive secundum esse talium) erui non posse, tam falsum manet, quam quod falsissimum. Quod asseritur a secus sentientibus, diciturque probationis vice, poenitentiam & conversionem (quæ & ipsa sunt opera voluntatis) stylo & praxi pariter, ut fidem, factas esse in Orthodoxia nostra entia intellectus, vel sæpe ne hoc quidem, sed nudos sine mente sonos; tam facile exploditur, quam temere sine probatione asseritur. Ecquem enim tam crassa ignorantia tenet, ut Scholas γυναικείως Lutheranas indies omnia alia circa negotium poenitentiae & conversionis tradere, ruminare & inculcare inficietur? Cæterum a vitio vel quorundam converforum instabiliū & subdolorum, vel quorundam perversorū Pastorum (de omnibus enim converfis dici jure nequit, quod mutant saltem formulam & confessionem oris, mores autem non mutant; uti nec de omnibus Pastoribus, quod ejusmodi converfis, qui mores non mutant, fidem salvificam publice tribuant) communem Lutheranorum doctrinam & praxin derrivare velle, quilibet cordatus judicet, num, ut mollissime loquar, sit congruum. Mutationem certe hominis requirimus vel maxime in justificatione; qua de re instar omnium testari potest *B. Königius Theol. Acroam. p. 196.* ubi formam justificationis in genere ponit in efficientia mutationis certæ in peccatore, non quidem Physicæ, sed moralis, constituentis ipsum justum actione eidem pure extrinseca, atque extrinsece saltem, verissime tamen, subiectum suum denominante. Justificationem ex unanimi consensu sequitur renovatio, quæ itidem in veteris hominis ad novum, in motuum, in morum ac vitæ immutatione consistit. Commentitium proinde manet, Ecclesias nostras vel talem justificationem, vel talem renovationem, qualis cum nulla hominis mutatione conjuncta sit, docere.

§, XXVI.

§. XXVI. Porro forma fidei justificantis in eo non consistit, ut natura nostra per ἀφεσιν h. e. remissionem peccatorum sive justificationem, quatalem, reformetur; verum potius in eo, ut aliena nobis justitia donetur, donataq; verbo Dei convenienter acceptetur: videlicet non in eo, ut per operationem justitiæ Christi, in nobis percipiendam, verum in eo, ut per imputationem justitiæ Christi extrinsecus applicatæ (quam ille obedientia sua perfectissima, tam activa, quam passiva, nobis acquisivit) justi habeamur. *Justificatur enim impius*, h. e. nihil propriæ justitiæ, nihil propriæ sanctitatis habens, per λογισμὸν sive imputationem justitiæ alienæ, fide apprehensæ; Rom. IV, 5. Agit nimirum in hoc foro nobiscum Christus non ut naturæ reformator, aut justitiæ in nobis percipiendæ operator; verum ut satisfactor absolutissimus, in quo translatio criminis, surrogatio personæ, luitio pœnæ & præstatio indemnitate (quæ sunt satisfactionis requisita) eminentissime concurrunt. *Per vulnera, per vibicem ejus* (dum nempe officium sacerdotale in cruce peregit, administravit & consummavit) *sanati sumus*, Ef. LIII, 5. *Efficimur justitia in Christo*, non ideo, quia nostram reformavit naturam; sed quia *Deus ipsum pro nobis peccatum fecit*, 2. Cor. V, vers. ult. Proinde fides nos non justificat, ut est vita spiritualis (δευτέρως nempe spectata, & quatenus in renovatione demum sese ex-erit) Christumque intra nos operantem persentiscit; sed ut complectitur id, quod extra nos est, justitiam nempe PERFECTISSIMAM, perfectissima obedientia θεανθρώπως dudum absolutam. Ita *Dn. D. Hedingerus Disput. de literis commendat. pag. 19.* optime docet, addens, sanctitatem & κοινωνίαν Christi καὶ τῆς θείας φύσεως 2. Pet. I, 4. sanctos quidem nos reddere & felices, sed minime justificare; tametsi neq; fidem, neq; vitam spiritualem sine operibus, luce, motu ad extirpa-

extirpa-

ad extirpationem vitiorum & profectum virtutis ( quoad hoc militiae Christianae stadium decurrimus ) concipere fas sit ; verum *constituentia* fidei cum *consequentibus* ejusdem hac in praxi conjungere & combinare deceat.

§ XXVII. Quae equidem legens recordor aurei Edicti *Serenissimorum Ducum Luneburgensium, ab Inclytis & Illustribus Dominis Superioribus nostris* Universitatis Ecclesiaeque nostrae anno 1692. d. 21. Aprilis illum ob finem, ut in utraq; Cathedra ei conformiter doceremus, gravissime commendati, in quo §. 12. haec omnino reperiuntur verba : So soll allen und jeden unsern Predigern / Lehrern Schulbedienten und Informatoren, samt und sonders / keinen ausgeschlossen / hiermit ernstlich interdiciret und untersaget seyn / mit niemanden / welcher wegen des Enthusiasmi, Chiliasmi, des Sectarischen Pietismi, Quakerismi, oder andern gefährlichen Meinungen berüchtiget oder verdächtig / sich in schriftliche correspondenz einzulassen etc. Et §. 15. Wie wir denn alle / die an Kirchen und Schulen arbeiten / ernstlich erinnern / daß sie insonderheit den Haupt- Articul von der Rechtfertigung / Erneuerung und Heiligung rein und lauter vortragen / und nicht miteinander vermengen ; sondern die Rechtfertigung eines armen Sünder / als die durch Vergebung der Sünden und Zurechnung des Verdienstes Jesu Christi geschiehet / von der Heiligung wol unterscheiden / dabey auch deutlich lehren / daß der Mensch bey der Rechtfertigung zugleich geheiliget werde / und keine Gerechtmachung oder Zurechnung des Verdienstes Christi sey / wo die Heiligung nicht erfolget. Confer ea, quae dedimus supra §. 12.

§. XXIIX. Faceffant igitur, qui docent, contra omnem Scripturam afferi, quod *fides salvifica adaequate concipiatur, defini-*

Et definiatur per fiduciam Christi merito nitentem, illudque sibi applicantem. Faceffant, qui docent, contra omnem Scripturam afferi, nos tantum per Christi meritum imputatum, & fiducia apprehensum, justificari & salvari. Faceffant, qui docent, dividi hoc pacto Christum in officio mediatorio, & dum ut causa promerens a stulta phantasia apprehendatur, eum ut causam efficientem physicam & exemplarem aeterno animæ damno respui. Ita sane docentibus τὸ γνήσιον Lutheranismi sordet; formaque fidei tum Socinianæ, tum Weigelianæ magis arridet. Nempe enim existimant, quod fides non recipiat Christum tantum, quæ causam salutis meritoriam, sed & qua exemplarem, & qua efficientem physicam, ejusque officium Propheticum & Regium ita respici a fide contendunt, uti illud in ipso etiam renovationis opere in nobis administret.

§. XXIX. Aliam certe fidei justificantis formam nobis instar omnium §. antec. 26. exhibuit λογισμὸς Paulinus Rom. IV. 5. Et certe, ubi Scriptura distinguit actus officii Christi Sacerdotalis, Prophetici ac Regii, ibi & nos distinguere, ac distinctos agnoscere eos decet. Sic v. g. Alius est actus, effundere sanguinem: Alius est actus prædicare Evangelium aut miracula edere. Non per hunc, sed illum Christus nobis meruit justitiam, quæ in hoc quidem justificationis foro nobis imputatur. Rumino, quod jamdum adduxi ex 2. Cor. V. vers. ult. *Efficimur justitia in Christo*, non propterea, quia Christus miracula edidit, aut Evangelium prædicavit, aut ideo, quia in regno potentiae, gratiæ & gloriæ dominatur; sed ideo, quia DEUS IPSUM PRO NOBIS FECIT PECCATUM. Ita esto actus officii Regii, vincere ac subjugare in nobis peccatum; ille tamen actus, qua talis, non est meritorius justitiæ coram Deo valentis, quam justificandi apprehendimus nobisque applicamus. Non, in-

D

quam

quam, est actus ἰλαστικός 1. Job. II. 2. neque peccatorum ἀφετικός, eo, quod ἀφεσις hæc in non-imputatione peccatorum consistat Psalm. XXXVII, 1. sed ἀνακαινωτικός. Nimirum *Servus Dei justus in scientia sui, per scientiam sui, h. e. per fidem nos justificat*, non ideo, quia veterem Adamum in nobis subjugat; verum ideo, quia *bajulat peccata nostra* Es. LIII, II. Id quod dum dico, hoc mihi volo: Non confundi debebant peccati remissio; & peccati subjugatio, pefundatio, mortificatio. Non in hac, sed in illa consistit nostra coram Deo justificatio. Non in illa, sed in hac nostra consistit renovatio. Per illam constituimur, per hanc ostendimur justi. In illa justitiam perfectam, in hac imperfectam; in illa imputatam, in hac inchoatam & de die in diem perficibilem consequimur. In illa fides passive & relative, meritum Christi apprehendendo; in hac autem active, nos vos motus spirituales producendo & opera charitatis efficiendo, sese habet. Illa natura prior; hæc posterior est. Ita *B. Gerhardus noster Homil. p. 2. p. 307. per regenerationem* (quam in præfenti non pro collatione seu donatione virium credendi, principaliter a tota SS. Trinitate & efficienter dependente, neq; etiam pro toto pœnitentiæ & conversio-ambitu acceptam volumus; verum justificationi συνώνυμον cum *B. Hülsemanno Breu. suppl. cap. XI. §. 3. B. Königio l. c. pag. 179. & B. Scherzero Brevic. §. 93. dicimus*) peccatum remitti; per renovationem autem peccatum mortificari, ut non amplius dominetur, solide, ut omnia, & edecumate docet. Multa paucis: Virtus passionis Christi in sola justificatione est expiatoria. *Mortuus enim est propter peccata nostra Rom. IV, 23. cæterum in renovatione demum mortificatoria veteris Adami 1. Petr. II. 24. & insuper in cruce sanctificatoria est nostrarum passionum, quibus implemus ea, quæ desunt passionibus Christi, Col. I. 24. Ecqua vero,*  
amabo,

amabo, sequela: Passio Christi per mortificationem veteris Adami nos renovat. Ergo Passio Christi per mortificationem veteris Adami nos quoque justificat? Aut ecqua in illo sodes asserto: Passio Christi per crucem & varias calamitates ac probationes nos sanctificat. Ergo Passio Christi per easdem probationes nos quoque justificat? Quilibet iudicio pollens & orthodoxæ doctrinæ gnarus hic arbiter esto.

§. XXX. Prætereatritior hæc enunciatio *Fides, quæ per bona opera est efficax, salvat*, ita certet uenda non erat, ut sustineremus simul, *Bona opera esse partem salutis, siue beatitudinis ejus*, de qua Paulus Eph. II, 8. 9. loquitur. Argumentari liceat in partem contrariam: *Quicquid Apostolus in allegato loco a salute penitus excludit, illud non potest esse salutis pars.* A. *Bona opera*, Nicht aus den Werken ic. Ergo. Major patet, quoniam possibile non est, partem, qua talem, excludi a toto. Minor jam dicta est. Neque sufficit, quod ex Matth. I. 21. adducitur, Christum vocari Jesum siue Salvatorem, non tantum eo, quod æternam nobis salutem; sed & eo, quod illam, quæ justificationem sequitur, vitæ sanctimoniam morte sua nobis promeruerit. Non sufficit, inquam, subtilis ejusmodi *πρόφασις*. Etenim hæc ipsa vitæ sanctimonia ipsaque B. O. ut ut ad *ευδαιμονισμὸς* illos, quos Matth. V. 1. & seq. legimus, merito referantur, & hoc sensu pars beatitudinis Christianæ, in sua latitudine acceptæ, appellari queant; non tamen sunt pars illius *σωτηρίας* seu beatitudinis, de qua Paulus Eph. II. 8. 9. agit, quippe de sola justificatione & salvatione, nihil quicquam a. de renovatione & sanctificatione in istis versiculis locutus. *Εὐδηλον.*

§. XXXI. Eadem ipsa propositio in sensu diviso vera est; at in sensu composito non item. Falsum quippe dixero, si cum reduplicatione dixero: *Fides per bona opera efficax, quatenus est per bona opera efficax, salvat.* Nempe prædicatum

catum istud SALVAT tribuendum est fidei, non quatenus est δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, sed unice, quatenus est εἰς δικαιοσύνην ἐλλογισμένη, Christique meritum, gratiam Dei, remissionem peccatorum & vitam æternam apprehendit; omni respectu ad opera nostra penitus excluso. Atque ita denuo cavendum, ne imputatio commisceatur cum renovatione. Siquidem, in hoc articulo justificationis & salvationis, fidei non subordinantur, sed opponuntur bona opera; non quidem per se & simpliciter (cum opera sint fidei effectus) verum respectu justificationis & salvationis ipsius, & respectu objecti, quod Christi meritum est, cum operibus nostris in hoc eople articulo simpliciter ἀσυνδύνατον & incompatible. Quod est γνήσιον ἀκροαμα B. D. Königii Theol. Acroam. pag. 251. Ratiocinari inde hunc juvat in modum: Quicquid non tantum respectu justificationis ipsius, verum etiam respectu meriti Christi fidei non subordinatur, sed opponitur; & quidem ita, ut cum merito Christi simpliciter sit incompatible, illud cum fide justificante & salvante, qua tali, coexistere non potest. Atqui B. O. Ergo. Atque ita recte negat B. D. Höpfnerus Disp. XII. de Justif. p. m. 1133. dici posse, QUOD FIDES, QUANDO ET QUATENUS JUSTIFICAT, COOPERETUR OPERIBUS.

§. XXXII. Obstat: Si fides per B. O. efficax, quatenus per bona opera est efficax, non salvat, seq. fidem, quatenus per mala opera efficax est, salvare. At consequens est ἀθεόλογον. E. & antec. R. a) fidem, per mala opera efficacem, non esse veram fidem; sed vanam modo & inanem fidei persuasionem, futileque fidei φάντασμα & simulacrum. Apparet igitur πλεονεξία quatuor terminorum in argumento opposito. β) Posset non nemo per similis formæ consequentiam ita colligere terminos: Si homo rationalis, quatenus est rationalis, non est doctus; sequitur hominem, quatenus est irrationalis, esse doctum



*doctum.* Ita vero Omnis homo rationalis esset doctus. Item: Si Deus justus, quatenus est justus & peccata punit, non miseretur hominum peccantium; sequ. Deum injustum misereri hominum peccantium. Item: Si homo doctus, ideo, quia est doctus, non salvatur; sequ. hominem ideo, quia est indoctus, salvari. Enimvero quicquid responderint secus sentientes ad has argumentationum formas, id omne sibi nihilofecius habento responsum.

§. XXXIII. Iteramus, tertiamus, & inculcamus id, quod supra evicimus, formam fidei, quatenus justificat, in *δοχή* seu *λήψει*, h. e. in receptione, adeoque in passione consistere, ex Joh. I, 12. Videlicet hæc eo momento, quo recipit, vivax & actuosa est, JESUM suum arcte tenendo. Ita colluctator Jacobus: *Non dimitto te, inquit, usq; dum benedixeris mihi, Gen. XXXII, 26.* Ita Sponsa: *Amicus meus meus est, & ego ipsius, Cant. II, 16.* Ita Thomas: *Dominus meus & Deus meus, Job. XX, 28.* Ita Paulus: *Vivo, non jam ego; sed vivit in me Christus. Vitam autem, quam nunc vivo in carne, per fidem vivo Filii Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me Gal. II, 20. Conf. Dn. D. Fecht, l.c. Disp. XL. §. 3.* Hanc eandem fidei vivacitatem appellaveris ex verbo Dei *ἰσχύειν*. Etenim cum neque circumcisionem, neque præputium, hoc est, neque Judæorum, neque gentilium opera quicquam *ἰσχύειν* seu valere statuat Apostolus; juxta ipsum fides *ἐν Χριστῷ ἰσχύει*, hoc est, vim, vitam ac robur suum accipit, ut coram Deo consistat, atque adeo justificet. Nacta vero hanc *ἐντελέχειαν* formamque ac vitam suam, actiones quoq; vitales edit, *δι' ἀγάπης ἐνεργεῖται*, i. e. per charitatem vitam suam exerit atq; demonstrat. Audias hinc Apostolum *πάντα ἰσχύοντα ἐν τῷ ἐνδυναμῶντι Χριστῷ*, omnia valentem in corroborante Christo Phil. IV, 13. ac gratiam habentem, a quo robustus sit redditus, a Christo J. Domino suo I. Tim. I. 12. Audias etiam Abrahamum *πληροφορηθέντα* i. e. animatum

quasi atque auræ vitalis participem, ad instar naviculæ plenius quasi velis ad portum salutis tendentem. Vid. *Dn. D. Neumann. Disp. de Justif. §. 12, 13.*

§. XXXIV. Proinde nihil minus est fides Lutherano-  
rum, quam sceleton, quam otiosa quædam *αέσις*, quam  
justitiæ saltem putatiæ apprehensio. Neque aliud sibi vult  
*Apologia A. C.* cum inquit: *Illa virtus justificat, quæ ap-  
prehendit Christum; hæc autem virtus fides est; ubi certe bo-  
nis operibus justificandi virtutem non tribuit, sed occasio-  
ne ex adversariorum argumento sumpta, quo charitatem,  
quia maxima juxta Apostolum virtus sit, justificare conten-  
debant, virtutis vocem ad eam notionem, qua vires signi-  
ficat, quæ majus ipsa charitate opus efficiant, deflectit. Ma-  
xima autem fidei virtus seu opus (μεινυτικὸς, quippe ad stylum  
Adversariorum imitandum corrigendumque sic dictum) est  
meriti Christi, semel recepti, complexus in eodemque to-  
tius animi recumbentia; post illam charitas Dei & proximi  
*Gal. V, 6.* Vid. *D. Fecht. Disp. cit. §. 6. 7.**

§. XXXV. Periculosum itaque censemus esse dogma,  
quod his temporum vitiis a Novantibus circumfertur, *ne-  
gatum ire, quod nova obedientia sit consequens seu effectus fi-  
dei; & contra eam in se recipere ac sustinere opinionem,  
quod nova illa obedientia ad formam sive essentiam fidei per-  
tineat.* Enimvero, cum poenitentiae, cujus pars constitu-  
tiva fides est, consequens immediatum sit justificatio; non po-  
rest non nova obedientia sive bona opera, stante hoc do-  
gmate, antecedere & producere ipsammet justificationem;  
qui Papiismus, qui Socinismus, qui Arminianismus (Vid.  
*Apol. Armin. fol. 114. a.*) est oppido manifestus. Ficulneæ ergo  
sequelæ sunt & Nova obedientia est in credentibus, quoad  
vivunt, omnibus, ita, ut nemo, ea carens, existimare de-  
beat, quod credat, quodque justificetur aut salvetur. Ergo  
nova

nova obedientia pertinet ad formam sive essentiam fidei. Sane quod est in subiecto credente ut fidei adjunctum aut consequens, non ideo statim est in subiecto credente ut fidei constituens. Sic nemo, carens fronte, videre potest; nec tamen idcirco frons exterior ad substantiam aut constitutionem oculi pertinet. 2) Orant Apostoli *Luc. XVII, 5. Auge nobis fidem*, cum versibus antecedentibus, tertio & quarto, de placabilitate fuisset actum. Ergo Placabilitas ad ipsam formam seu essentiam fidei attinet. Nisi si velis id pertendere, quod, quando oramus in petitione quinta orationis Dominicæ: Remitte nobis debita nostra; etiam panis quotidianus ad remissionis hujus sive justificationis essentiam pertineat. Eadem enim suppetit ratio, quoniam verba immediate antecedentia panis quotidiani meminerant.

§. XXXVI. 1) Ait Paulus *Eph. V, 10.* novam obedientiam esse *εὐάρεστον* seu acceptam Domino. Ergo ea pertinet ad formam sive essentiam fidei; utpote sine qua nemo placere Deo potest. Etenim corpus nostrum etiam dicitur *εὐάρεστον τῷ Θεῷ*, acceptum Deo *Rom. XII, 1.* nec tamen ideo corpus nostrum pertinet ad formam seu essentiam fidei. 7) *Hebr. X, 10. 14. 29.* per oblationem s. sacrificium Christi & sanguinem Testamenti sanctificandi dicimur; & asseritur *c. XIII, 12.* JESUM per proprium sanguinem sanctificasse populum. Ergo vis seu virtus novæ obedientiæ ad essentiam fidei perinde, ac vis seu virtus justificandi, pertinet. Etsi enim JESUS noster in cruce oblatus sanctificat nos tum ut est donum, quod apprehendimus nobisque applicamus; tum ut est exemplum, quod imitari nos decet *1. Petr. II, 21. Tit. II, 14. Phil. II, 5.* inde tamen haud sequitur, quod imitatio exempli sit ipsa apprehensio doni, sive mavis, quod vis seu virtus novæ obedientiæ ad essentiam fidei perinde, ac vis seu virtus justificandi pertineat. Ecquis, amabo, non animadvertit, *δύναμιν* apprehendendi doni, ac *δύναμιν* imitandi exempli,

empli,

empli, tametsi materialiter coincidere, & in uno subjecto dari queant, formaliter tamen differre?

§. XXXVII. ¶) Nova obedientia sese habet ad fidem, sicuti virtus urendi sese habet ad ignem. E. nova obedientia ad formam seu essentiam fidei pertinet haud aliter, ac virtus urendi ad formam seu essentiam ignis. Tantum enim abest, ut vis urendi ad essentiam ignis pertineat, ut potius sit extra ejus essentiam, tanquam proprium ejus in quarto modo, tanquam affectio & conceptus ignis secundarius, qui ex essentia ignis demum necessario fluit; adeoque in tertio modo per se, non in primo aut secundo, est prædicabilis de igne. Unde veluti propositio; Homo potest loqui; non est essentialis; ideo, quia prædicatum est extra essentiam subjecti: Ita nec illa; Ignis potest urere. Id quod vel ex Dn. D. Bechmanni Logica *Cap. de Prædicatione* luculenter patescit. Pari fere Metaphorasi cum Taulero fidem lubeat vocare saccharum animæ; tertium comparationis dexterius venit attendendum, utne saccharum in fel aut absinthium commutetur. ¶) Entium moralium ratio ac natura in meris effectibus consistit. Ergo nova obedientia ad naturam & rationem, seu mavis, ad formam & essentiam fidei pertinet. Petitur nimirum id, quod erat in principio; ac nondum probatum est, fidem justificantem esse ejusmodi ens morale ac spirituale, cujus ratio & natura in meris effectibus consistat. Quin notitiam potius receptivam, quam effectivam; assensum potius receptivum, quam effectivum; & fiduciam potius receptivam atque applicativam, quam effectivam esse fidei justificantis, quæ talis, formam, rationem, naturam & essentiam, hætenus ex verbo Dei revelato evicimus.

§. XXXVIII. Bonum, utile ac salutare, imo necessarium, venerabile & gloriosum est legitimo cum zelo studium pietatis urgere, Christianismi ruinam taxare, atheismi & epicu-

& epicureismi hodierni lenocinium abominari, ac indolem  
 Johannis Baptistæ, concionatoris metamœtici, mascule  
 æmulari: Sed tamen transitus ab uno extremo ad alterum  
 non est committendus ( id quod valedictoria Disputatio  
 Hallensis antea jamdum laudati *B. D. Bajeri* nostri paucis  
 quidem verbis, sensu tamen prolixo, insinuat) nec sunt ex  
 verbo veterum facienda mala, ut inde eveniant bona. Id  
 quod vel ipse Paulus, cum articulum de justificatione ope-  
 rosius tractare constituisset, minime omnium vult fecisse  
 videri, & ab se divino afflatus Spiritu removet tanquam  
 ab instituto suo longe alienissimum, *Rom. III, 8.* Ita ergo  
 nos, dum unum extremum cavemus, caveamus & alterum;  
 dum κατ' ἀγάπην nolumus ἀσοχεῖν, nolimus etiam κατὰ πί-  
 σιν, nec obtineamus mentem moremve eorum, qui ζῆλον ἀ-  
 ζῆλον foventes ad Labadismum exorbitant ac prolabuntur.  
 Ubi enim fidei puritas non est præsto; ibi vitæ integritas ac  
 ζήλωσις καλῶν ἔργων in verbo vitæ probe fundata esse ne-  
 quit. Laudamus eos, qui Eusebien veram serio inculcant;  
 ad illos vero, qui Scopticam subinde & Labadisticam cre-  
 pant pietatem, usurpamus verbum Jacobicum: Δέξασθε ἡμῖν  
 τὰ ἔργα. Conf. *Hecdecas Hecdecadum mea super II. § III.*  
*Ep. Johann. in præfat. per tot.* Quanto, sodes. cum zelo  
 Megalander Lutherus, quanto cum ardore complures alii  
 beatissimi Majores nostri studium pietatis urserunt, incul-  
 carunt, flagitarunt, qui in scriptis tamen suis, maxime  
 Symbolicis, quæ nobis reliquerunt, usum legis didacticum,  
 ex parte renatorum commendatum, in eo ponunt, ut lex  
 & opera vere bona doceat, & imperfectionem eorum ar-  
 guat, veteremque Adamum, etiam in piis subinde phari-  
 saizantem, coërceat. Utrumque necessarium, utrumque  
 difficile est. Difficile est pie & in renovationis quotidianæ  
 statu vivere; sed & difficile est recte credere. Vid. *B. Scriv.*  
*Seelensch. part. 2. pag. 431.* E §. XXXIX.

§. XXXIX. Hac decempeda si eorum, qui haecenus bona opera, tanquam essentiale quid, ad ipsam fidei justificantis formam & naturam referre visi sunt, ἀκυρολογισμὸς (ita cum *Dn. D. Habichhorstio* loqui fas est, qui rubricam hanc Disputationi inaugurali *et Dn. Bleccio* praefixit Rostochii anno 1690. 30. Sept.) metiri juverit; cuilibet æquo, pio & Christiano rerum aestimatori judicare facile erit, quid in eorum dogmatibus probandum, quidve improbandum, quid sequendum, quidve declinandum ac fugiendum sibi existimet. Utique charitas est extra essentiam fidei; & fides est extra essentiam charitatis. Ultraque insuper necessaria est; impari tamen modo & gradu. Necessaria est charitas; sed magis necessaria est fides. Impari etiam ordine. Fides antecedit; charitas sequitur; non contra: quandoquidem hanc sine illa Deo placere possibile non est. Quocirca regnum Dei ad nos venit, primo quidem, si verbo ejus sancto per ipsius gratiam credamus; deinde vero, si pie hic temporalem agamus vitam. [Nihilosecius apud nos tum sanctificatur nomen Dei, primo quidem, cum verbum Dei, ex cujus auditu oritur fides, pure & sincere docetur; deinde vero, cum nos secundum illud, ut filios Dei decet, pie vivimus. Atque adeo necessitas bonorum operum necessitati fidei subordinatur, si Deo placere volumus, quoad in hac miseriarum! valle obambulamus. Ad hunc viæ statum referimus illud, quod *Serenissimus Dux Saxo-Meinungensis BERNHARDUS, Ernesti Pii Pius utique Filius in Ordinatione contra Novantes & Sectarios d. 15. Jun. anno 1693. publicata §. 16.* graviter censuit, daß die guten Werke der Wiedergeborenen als vollkommen von Gott aestimiret und gehalten werden/ geschehe nicht um der Werke selbst willen/ denen/ ja auch den besten aus

aus denselben / Unvollkommenheit und Sünde anhanget /  
sondern um des Glaubens an Christum willen / durch wels-  
chen Gott der himmlische Vater alle Unvollkommenheit /  
die nach dem Gesetz den guten Wercken der Wiedergeborenen  
anklebet / nicht allein zudecket / sondern auch den vollkomme-  
nen Gehorsam seines Sohns JEu Christi den Glaubigen  
zurechnet. Evidens jam ex adductis fiet, quicquid de impari  
hoc æstimationis gradu & modo dicatur, ipsam Bonorum  
operum necessitatem a nobis minime omnium negari, sed  
vel maxime a nullis non sinceræ pietatis amatoribus asser-  
tum acque stabilitum iri. Proin ex *Urbani Rhegii libello de  
formulis caute loquendi B. Balduinus Comm. in Epist. ad Phi-  
lipp. cap. III. v. 7.* taxat nonnullos, qui truncatis & nudis  
propositionibus usi sine declaratione ita loquantur: Es ist  
nichts mit unsern guten Wercken: Sie sollen nichts: Sie stin-  
cken vor Gott: Er will ihrer nicht. Cujus farinae sunt &  
illa: B. O. magis cavenda esse, quam mala; B. O. esse noxia  
& perniciofa, & quidem, prout *Nic. Amsdorfius* ajebat, ad  
salutem perniciofa. Quod enim Paulus, bona opera vo-  
cans stercora, cum certa quadam limitatione asseveraverat,  
(considerans B. O. eatenus, quatenus circulum justificationis  
ingredi fideique in ipso justificationis & salvationis actu a  
latere poni existimantur) id ipsi nude & simpliciter profe-  
runt, adeoq; scandalose loquuntur, ac formæ sanorum ver-  
borum bellum indicunt. Æstimatio certe ac æmulatio  
bonorum operum hominibus profanis mundoque Atheisti-  
co non satis inculcari potest: quorum nempe unumquodvis,  
ut Lutherus alicubi ait, est coelo & terra carius. Sunt ea-  
dem a Deo præcepta; sunt Spiritus S. effecta; sunt fructus  
fidei & exercitia pietatis, obedientiæ & gratitudinis Deo  
debitæ.

§. XL. Tenendum tamen, nexum aut conjunctionem fidei & bonorum operum simpliciter non esse indissolubilem; quantumvis certaratione utique sit talis. Ecquî enim alias idem *Megalander* dicere potuisset *Com. ad Gal. fol. CLXIII. a. Fides & opera tam longe inter se distincta sunt, quam cœlum & terra inter se distant? Item fol. LXXXIV. a. Oportet sponsum Christum esse solum cum sponsa in conclaui, amotis omnibus ministris & tota familia: Postea vero, cum aperit ostium & egreditur; accurrant serui & ancillæ, ministrent, afferant cibum & potum: Ibi tum incipiant opera & charitas.* Coniunguntur itaque fides & B. O. in justificationis statu, non autem in ipso justificationis actu, ceu supra §. 13. cum quibusdam Nostratium innuebamus. De hoc eodem justificationis non statu, sed actu loquuntur Beatissimi Majores nostri, quando *Epit. F. C. art. 3.* sub finem repudiant docentes, ABSQUE BONORUM OPERUM PRÆSENTIA HOMINEM JUSTIFICARI NON POSSE. De hoc eodem justificationis non statu, sed actu intelligendum erat aureolum istud B. Höpfneri, quod jamjam §. 31. laudavimus, dici videlicet non posse, QUOD FIDES, QUANDO ET QUATENUS JUSTIFICAT, COÖPERETUR OPERIBUS. Unde, num Paulinum istud τὸ μὴ ἐργάζεσθαι Rom IV. 5. citra vim textui huic augustiori illatam eum in modum exponi debeat, ut omnino non Abrahamum, qui nullam habeat opera; sed ejusmodi potius Abrahamum, qui hæc opera ad iudicium Dei non afferat, qui que justitiam in operibus non querat, nobis repræsentet; equidem Lectoris τῆ ἀποδητήρια γεγυμνασμένα vere ἔχοντας epicrisin pro ea modestia, qua mihi salvis autoritatibus quibuscunque ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν existimo, lubens periclitabor. Abrahamum quippe etiam tum ex mente Pauli, hæc ad Romanos suos scribentis, coram Deo fuisse justificatum, cum primo ab idololatria conversus NULLA BONA OPERA HABERET, *Form. Conc. Decl. solid. pag. 690.* pronunciavit. §. XLI



§. XLI. Sane Divus Apostolus vix antecedente capite III. v. 28. de ipsissimo justificationis actu æque, ac hîc locutus, proposuerat fidem, χωρὶς ἔργων νόμος justificantem; adeoque χωρισμὸν seu separationem fidei & operum qua coëfficien-  
tiam ad justificationem non modo non impossibilem, sed & maxime necessariam in hoc quidem foro & coram rigido Dei judicio esse, per particulam χωρὶς aperte fuerat professus. Id quod a novæ quidem istius explicationis fautori-  
bus haud negatum iri credo. Si enim quæritur, quidnam sit istud, per quod apud Deum justificemur; uno omnes ore respondebunt: solam fidem sine operibus esse illud me-  
diuin & organon sive instrumentum. Neque aliud sibi vo-  
luit Theander l.c. fol. LV, a. scribens: *Ea fides, quæ apprehendit Christum Filium Dei, & eo ornatur, non quæ includit charitatem, justificat.* Idem: *Nisi, inquit, fides sit sine ullis, etiam minimis operibus, non justificat, imo non est fides.* Jam pergat lector vere pius in timore Domini expendere ea, quæ subjungam; & hæc spiritualia dijudicare spiritualiter. Qui enim χωρὶς ἔργων justificatur; idem profecto, si dicitur eo ipso, dum justificatur, dumque fides ipsi ad justitiam imputatur, μὴ ἐργαζόμενος; non modo talis nuncupatur eate-  
nus, quatenus sua opera ad iudicium Dei haud affert, aut ju-  
stitiam in operibus non quærit; sed & eatenus, quatenus tum nulla prorsus opera habet, sive, ut Paulum denuo per Pau-  
lum interpreter, eatenus, quatenus *ne habet quidem suam justitiam, quæ ex lege est Phil. III. v. 9.* non aliter, ac *Ethni-  
nici, qui non sectantes justitiam (legis & bonorum operum) apprehenderunt justitiam eam, quæ est ex fide Rom. IX, 30.* (Ὁυ γὰρ ἐστὶ διαστολή inter Judæos & Ethnicos, inter operan-  
tes & non operantes, vel qua statum peccati, vel qua be-  
neficium justificationis | facienda contra Apostolum Rom. III, 22. 23. 24.) Animadvertimus proinde, phrasin

τὸ μὴ δῶκεν δικαιοσύνην optime quidem a præclaris interpre-  
 tibus reddi, quasi idem sit, ac nolle per propriam justitiam co-  
 ram Deo justificari; neque operibus legis gloriari, neque iis-  
 dem considerare aut assuere opinionem meriti velle. Interim  
 dum hæc significatio includitur, non excluditur, sed vel  
 maxime præsupponitur altera, quod nempe tanto minus  
 gloriari potuerint Ethnici de justitia legis, sive justitia bo-  
 norum operum, quanto minus eam habuerint. Adeoque  
 τὸ non sectari justitiam, secundum expositionem literalem  
 B. D. Calixti ad h. l. pag. m. 110. est NIHIL DE EA JUSTITIA COGI-  
 TARE; voluitque secundum B. D. Balduinum Comm. ad h. l.  
 Apostolus innuere, GENTES UTIQUE DE JUSTITIA LEGIS PA-  
 RUM SCIVISSE; ambulasse enim secundum desideria cordium  
 suorum. Animadvertimus denuo in Scholis orthodoxis  
 exemplum Abrahami, cui Rom. IV. 9. 10. fides ad justitiam  
 imputata dicitur non dum certe in circumcissione, sed adhuc in  
 præputio. Animadvertimus tandem ex B. Gerardo LL. de  
 B. O. §. 12. justitiam renatorum esse ex lege, sive, ut ille lo-  
 quitur, opera renatorum vocari opera legis non ratione  
 cause efficientis, quasi opera illa legis imperio ab  
 invitis extorqueantur, cum proficiantur a spiritu spon-  
 taneo; sed ratione objecti, quia renati in exercitio B. O. non  
 iudicium rationis aut propriam intentionem, sed normam  
 ac præscriptum divinæ legis sequuntur.

§. XLII. Nihilofecius jam porro illud devotius cogi-  
 tandum altiusque indagandum sistimus, num in ipsa beatæ  
 emigrationis ἀκμῇ, ipsoque analyseos momento, quo justifica-  
 tio & salvatio nostra in re omnino coincidunt, quo regulæ illius  
 practicæ: Qui credit, salvatur, usum maxime persentiscimus,  
 quo credentes ἐπιλαμβάνομεθα ζωῆς αἰωνίης, I. Tim. VI, 19.  
 quoque fides nostra unicum salutis in vulneribus Jesu Christi in-  
 venienda

veniendæ & apprehendendæ medium est, num, inquam, tunc  
 cessatura sit omnis operum cum fide tam coëfficien-  
 tia aut coïnfluentia ad justificationem & salutem,  
 quam ipsa etiam συνύπαρξις sive coëxistentia cum ea-  
 dem; num vero tunc ista coëxistentia bonorum ope-  
 rum cum fide indivulso nexu permansura, adeoque  
 ejusdem fidei ἐπίαν etiam ἐνέργεια ejusdem διὰ γένεως actu  
 secundo inseparabiliter comitatura sit? Nobis quidem  
 certe de ipso justificationis actu (vid. supra §. 13.) loquen-  
 tibus, prius τῆ γενεῶν Paulinæ convenienter affirmari  
 videtur; posterius vero non item. Syllogismus autem no-  
 ster principalis, cujus mens partim e dictis claret, partim  
 e mox dicendis atque disputandis dilucidius clarebit, huc  
 potissimum redit: *Quicumque in ipso justificationis & salutis actu constituti justificantur & salvantur* 1) *ut μὴ ἐργαζόμενοι*, 2) *ut μὴ ἔχοντες*, 3) *ut μὴ διώκοντες*  
*justitiam bonorum operum; in illis, dum actualiter*  
*justificantur & salvantur, nulla datur aut superest*  
*operum cum fide coëxistentia. Atqui fideles beate*  
*exeuntes, in ipso justificationis & salutis actu*  
*constituti, justificantur & salvantur* 1) *ut μὴ ἐργαζόμενοι*  
 2) *ut μὴ ἔχοντες*, 3) *ut μὴ διώκοντες justitiam bonorum ope-*  
*rum. Ergo in fidelibus beate exeuntibus, dum actualiter*  
*justificantur & salvantur, nulla datur aut su-*  
*perest operum cum fide coëxistentia. Major proposi-*  
*tio elucescit inde, quoniam e posse analyticos momento, quo*  
 illi,

illi, qui actualiter justificantur & salvantur, coronam apprehendunt, non amplius currunt; neque intervallum aut spatium aliud de vitæ cursu jamdum transacto superest, quo fides eorum per bona opera efficax esse possit. Durat nimirum extra justificationis actum posita illa fidei efficacia tantisper solummodo, dum curritur; dum apprehenditur, non item: quandoquidem possibile non est, apprehendentem aut comprehendentem jamplius currere. Sed hæc in subsequentiis operosius astruemus, corroborabimus ac declarabimus. Minor propositio patescit inde, quoniam ipse justificationis & salvationis actus, in quo tum constituuntur beate emigrantes, excludit omne τὸ ἐργάζεσθαι, omne τὸ ἔχειν, & omne τὸ διώκειν δικαιοσύνην bonorum operum. Alias quippe ne esset quidem actus justificationis & salvationis, nisi opera, quocunque etiam respectu aut titulo sumpta, penitissime excluderet Eph. II, 8. 9. Ληπτικός duntaxat ex parte nostri est ille justificationis & salvationis actus, non amplius ἐνεργητικός per bona opera. Et contradictio insuper manifesta est, τὸ credere ut ἐργαζόμενον, ac τὸ credere ut μὴ ἐργαζόμενον. Posterius ad actum justificationis requirit Paulus; prius non item. In eo, qui credit ut ἐργαζόμενος, datur bonorum operum cum fide coexistentia; at in eo, qui credit ut μὴ ἐργαζόμενος, ut μὴ ἔχων, ut μὴ διώκων h. e. ut ne quidem cogitans de justitia B. O. (sive vivat, sive moriatur: neutrum enim hominis statum præcisè determinant allegata Apostoli loca) non item.

§. XLIII. Quando vero a secius animatis prætenditur ante omnia istud Apocalypticum cap. XIV, 13. *Opera ipsorum sequuntur eos, qui scilicet in Domino moriuntur* αἰὼν ἄρτι &c. committitur fallacia a dicto secundum quid; ac Bibliorum certe Ernestino-Vinariensium glossa: *Ihre Werke (die Früchte*

Früchte ihrer Werke) folgen ihnen nach (weil Gott ihre gute Werke/ und sonderlich die beständige Bekäntnus seines Namens aus Gnaden ihnen im Himmel wird reichlich belohnen) non solum inde confirmatur, quod toties in Scriptura Deus cuilibet homini post hanc vitam secundum sua ipsius opera retributurus, adeoque & τοῖς μέχρι θανάτου πιστοῖς mercedem gratuitam daturus dicatur; sed & inde, quod in tremendo isthoc articulo, qui simul temporis nostri finis & æternitatis initium est, infallibiliter sciamus, non justificari aut salvari hominem ex operibus legis (ἐκ ἐργῶν μὴ) sed unice per fidem Jesu Christi. Et nos in Jesum Christum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis Gal. II, 16. Tenendum ergo, quod in hoc ipso τῷ ἐκβίβῳ (ut Greg. Nazianzeni verbo utar) fideles omnia sua B. O. tanquam imperfecta, a tergo relinquunt, & solam fidei manum, quæ χάρισμα θεοῦ ζωὴν αἰώνιον Rom. VI, v. ult. amplectatur, secum afferant. Enimvero uti cursores in stadio aliosque τὰς πεντάβλους five quinquerciones & luctatores post exantlata certamina (per ἀκολούθησιν puta five consecutionem non Physicam, sed Moralem) sequuntur præmia, observante B. D. Kromayero ad h. l. Ita dicuntur hic opera consequi eos, qui in Domino moriuntur, non simpliciter & absolute, sed secundum quid, nempe respectu præmiorum, idq; non aliam ob causam, nisi hanc, quod scil. non pereant ipsi in morte, ceu prima quidem fronte perire, ac frustra labores & adversitates omnes hac in vita sustinuisse videntur; verum post mortem demum fructum earum uberrimum sint percepturi. Remunerabitur enim Deus ex gratia hæc ipsorum opera per gradus gloriæ in vita æterna; ubi, ceu alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum reliquarum est, ita & illi, qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudierunt multos, quasi stellæ in perpetuas

F æter-

æternitates. Respectu horum præmiorum gratuitorum sua quemque insequentur opera. Quodsi ἀκολούθησιν sive consecutionem realem potius & Physicam, quam Moralem intelligere, & contendere velles, non de fructibus aut præmiis operum, sed de operibus ipsis hic sermonem esse; tum vero α) firmitudo ejus consequentiæ incumberet ostendenda: B. O. in ipso etiam mortis articulo fidem comitantur, idque nexu tam indivulso, ut fides eo ipso, dum sola nos salvat, bona opera producat, dumque suam nanciscitur cessationem ac terminationem, eo ipso actu præsentaneo suam simul edat operationem. Sane illud, quod demum insequitur mortem, in morte non est præsens. β) monstrandum foret, ecqui istud, quod non statum, sed fluxum est ac, transeunte naturali vita, transitorium, in agone ipsoque adeo viæ termino ac patriæ ingressu hinc ad stabilia illa tabernacula mansionesque in domo Patris perpetuas μεθ' ἡμῶν ἀκολουθεῖν posset. Uti ergo (multa paucis) illum, qui jamjam accipit, qui tenet ac prensat brabeum, non amplius ipsummet τὸ ἔργον currendi, verum τὸ ἀθλον sequitur: Ita nec nos eo ipso, dum finem fidei æternam salutem consequemur, amplius τὸ ἔργον, verum potius τὸ ἀθλον sive χάρισμα sequetur. Vin brevius? Durant opera, dum currimus; dum brabeum apprehendimus, non item, sed ipsorum modo præmia gratuita nos sequuntur.

§. XLIV. Illos igitur, qui rectissime inficiantur, B. O. utut cum fide juncta, influxum in justificationem & salvationem ullam præstare, etiam inficiari velim, quod energia illa secunda, quæ ad sanctificationem & B. O. pertinet, fidei EO IPSO, DUM JUSTIFICAT, sive de ipso justificationis actu loquendo, sit ascribenda: ubi quidem certe justificatio respectu nostri accepta intelligitur; de qua acceptione vid. B. Dn. Saubertus noster Epit. Exam. Phil. pag. 50. & conscientia ante

ante omnia de hac quæstione angitur : An Deus sit placatus ? ceu ait *B. Chemnitius L. de Justif. LL. part. 2. p. m. 245.* Profiteor enim, me prius illud cum hoc posteriori identidem conciliatum ivisse, sed conciliare nunquam potuisse. Etenim fides eo ipso, dum justificat, sive in ipsomet justificationis actu spectata, neque operationem, nec virtutem operandi exercet; sed entelechia, actualitas, seu mavis cum aliis loquar, actualitas & vivacitas ejusdem tunc est mere ληπτική seu passiva, ac δεκτική sive receptiva; id quod ex medullio Scholarum orthodoxarum, atq; adeo ex ipso Dei verbo plus vice simplici jam statuminavimus. *Fide nimirum accedimus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut ACCIPIAMUS misericordiam Heb. IV, 16. coll. cum Job. XVII, 8. Act. X, 43. & XXVI, v. 18.* Unde illa etiam ἰχὺς, quam fides habet ad vincendum mundum I, Joh. V, 4. eo ipso, dum justificat nos sive in ipso justificandi ac salvandi actu, minime omnium alia est, quam ληπτική καὶ δεκτική, passiva ac receptiva, veluti manus certe mendica stipem non accipit ob mendicandi actionem, sed simpliciter, ut mendica, & ut organon accipiens. *B. Dannhaw. l. c. p. m. 855.* Rapiamus hic, oportet (non raptu injusto, sed sollicito, a Deo mandato ipsique placente) regnum cælorum Matth. XI, 12. Hospitio hic excipimus Deum, quasi cum violentia invitatum Gen. XIX, 2 3. sicque τὸ θεῖον Hospitis δῶρον nobis appropriamus, ut thesaurum omnis gaudii, nobisque unimus ac firmamus, tanquam summum bonum. EX SOLA FIDE hoc fit, ut sit firma promissio Rom. IV, 16. Tolle vero hunc ληπτικὸν, δεκτικὸν, ἀθλητικὸν, ξένιον καὶ παθητικὸν amplexum; non erit tibi firma promissio. Conscientiæ enim afflictæ, nullum opus satis mundum deprehendentes, lege semper accusante ac damnante, haudquamquam pacem inveniunt, sed tandem ad desperationem necessario adiguntur. Nos vero tenemus JESUM nostrum, ut Hospitem gratiosum, nec dimittimus; jamq; certi vitæ æternæ,

eam habemus Joh. III, 36. percipimusque justitiæ fructum, pacem conscientiae. Rom. V, 1. *Vid. idem ibid. p. 268.*

§. XLV. Manet proinde forma fidei, respectu notitiæ, receptio meriti Christi cognoscitiva; respectu assensus, receptio approbativa; respectu fiduciaæ autem objecti cogniti & approbati, receptio appropriativa & applicatio individualis. Id quod denuo inculcamus cum *B. Königio lib. cit. part. 3. §. 904.* Inde notanter dicere Apostolum Phil. III, 12: *Sequor, si comprehendam, in quo & comprehensus sum a Christo Jesu*, monet *B. Gerhard. LL. de Justif. §. 177. pag. m. 414.* neque enim fidem saliquid exhibere Deo, sed accipere oblata in Evangelio bona. Apprehendit igitur & apprehenditur homo credens; neque hac mutua apprehensione quicquam salutarius excogitari potest. Nos apprehendimus JESUM nostrum manu mendicante; ille nos apprehendit manu in gratiam recipiente, & reconciliatos Patri adducente, manu in crucem exaltata sponfamque post se trahente, manu efficaciter (utur resistibiliter) convertente. Nos eum apprehendimus firmiter tenendo & non dimittendo: Ille nos vicissim amplexando, osculando & minime omnium foras ejiciendo ad se venientes. Nos luctando: ille benedicendo. Nos filialiter per **יָצַר כַּמֶּוֹךְ** h. e. cogitationem innixam, qua videlicet ipso fulti & **כַּטְוֵהִים** confisi sumus Es. XXVI, 3. Ille paterne, dum nos velut infantes in gremio recumbentes sustinet & in pace servat, custodit ac tuetur. Sic itaque, ut mea faciam verba *B. Dannhaweri l. c.* fides, qua justificat, est nuda apprehensio beneficiorum Messiaë, & quidem passiva, admissiva motuum Spiritus S. recubitoria, requietoria in meritis Christi. Id enim est fides justificans formaliter, quod omnino operi legali opponitur. Ut adeo, de hoc individuo ac subiecto, nempe de me, hic & nunc, *περὶ ἀρρησίου μένως* atq; indubitato statuum: Ego scio, quod Redemptor meus

vivit:



vivit: Filius Dei & me dilexit, ac semetipsum tradidit pro me: Hunc desiderio quæro, ut meum; amplexu capio, ut meum 1. Tim. I, 15. 2. Tim. IV, 8. Ministro absolventi ac præbenti sanguinem Christi, qui pro me effusus est, tanquam Dei œconomus, habeo fidem. *Quæ fidei justificæ & salvificæ actualitas* (non certe de actu puro omnique potentiæ passivæ experte, cujusmodi solus est Deus, verum de actu impuro intelligenda) quatenus ad solum justificationis nostræ actum pertinet, & sanctificationi, utpote quæ justificatione natura posterior est, contradistinguitur, *mere passiva & relativa* utique otiosum & inane spectaculum non est, in ultimo præsertim, quod subire omnes tenemur, iudicio personali; & pro ea, ad quam nunc præcipue attendimus, hominis fidelis conditione. Quod si ergo ne in hujus quidem vitæ etiamnum durante cursu possumus affirmative determinare punctum illud sive momentum temporis, quo voluntas hominis ejus, qui convertitur, liberata agere, quoque fides justificans *δι' ἀγάπης ἐνεργεῖν* incipiat, uti quidem superius edocebamur; multo minus, credo, debebamus affirmare, fidem illam, quæ in extremo vitæ limine actu salvat, etiam actu *δι' ἀγάπης ἐνεργεῖν* eo ipso, dum salvat; seu mavis, eo ipso, dum remissionem peccatorum sive justificationem consequitur, dum meritum Christi apprehendit, dum misericordiam Dei sibi applicat, dum vitam æternam accipit, etiam sanctificationem & B. O. exercere; ac hominem, licet terminet hanc vitam, cum fide tamen, illa actu salvante, etiam actualem fidei illius effectum, nempe B. O. tunc producere.

§. XLVI. Opposueris forsan, bona vere fidelium agonizantium, aut etiam exeuntium opera non amplius esse imperfecta; sed jam ad ejusmodi apicem perducta, ut illis, etiam in se & qua formam absolutam seu *ἐννομίαν* spectatis

ſpectatis, gradus perfectionis proximus ab operibus comprehenſorum ſive beatorum coelitem debeat assignari. Ego vero intrepide profiteor cum *B. Luthero*, in bono opere eſſe peccatum. Vid. *D. Fecht. l. c. Diſp. XLI. §. 5.* & idcirco hanc objectionem ad album acyrologiſticum *D. Habichhorſtii* denuo relatam volo; præcipue ad Sect. II. tit. (P) *de renovatione ſeu bonis operibus*; cautiſq; omnino hic judico eſſe loquendum, & providendum, ut medium inter extrema teneamus, ne favere putemur ſeu Pontificiis, tradentibus nos legem poſſe implere, ſeu Anabaptiſtis, Schwenkfeldianis, Weigelianis & Stifelianis, comminiſcentibus, per regenerationem aboleri corporis prioris ſubſtantiam, nec renatos amplius peccatum in carne habere, nec ulla ratione fieri poſſe, ut peccent. Interim tamen nec iſta omnia illuc rapienda ſunt, quaſi veritatem bonorum operum, & vitæ ſanctitatem, ut fructum fidei, ex Eccleſia noſtra Lutheranâ (uti in toto vitæ curriculo, ita cum primis ante analyſin beatam, durante morbo & agone, maxime neceſſariam) proſtigemus. Adulterant articulum juſtificationis, qui id agunt, docent ac deſenſitant; non ſincere propugnant. Tantum igitur abeſt, ut illud intendamus, ut contra in Theologia Morali adverſus ſecuritatem urgeamus non fanaticæ, cum everſione miniſterii publici conjunctæ, ſed veræ totiesque inculcatæ in Scriptura vitæ illibatæ pietatiſque alacrioris & perfectionis inchoatæ ſtudium. Conf. ſi ſuper *Auditorium Venen. Armin. a me impugnatum pag. 30. 31.*

§. XLVII. Dico *inchoatæ*; ex Phil. III, 15. Col. IV, 12. Ergo bona vel agonizantium, & quæ appropinquante fine vitæ edunt, opera ne tum quidem ad eam perfectionis κορυφήν pertigere, ut a bonis operibus comprehenſorum in patria quam proxime abſint. Ultimum nimirum renovationis hac in vita complementum eſt, ut ſemper motus mali in  
ipſis

ipsis suis initiis & primo quasi partu comprimantur, a jente *B. D. Schomero* apud *Fechtium* l. c. §. 12. Toto igitur cœlo differunt OPERA LUCTATORUM h. e. eorum, in quibus tantisper σαρκοπνευματομαχία residet, dum in carne habitant, & corpus peccati etiamnum habent, ab OPERIBUS VICTORUM COELITUM h. e. eorum, qui a peccato jam sunt libera- li; tantum abest, ut illa ab his proximo differentia gradu absint. Paucis multa: Aut intelliguntur in objectione *B. O.* exeuntium qua talium; aut ea, quæ ante analysin & usque ad præsentissimum ejus momentum edunt vere fi- deles. Si hæc; jam responsum est: Sin illa, nondum proba- tum est, ea in ipso vitæ termino, quem cum gaudio & enixa spe anhelamus, ubi fides primarium suum officium, idque salutis δεκτικόν, obit, homini fideli etiamnum inhærere. Opponis ex *Apologia A. Conf.* pag. 117. fidem accipere re- missionem peccatorum mortemque vincere, dum se magis magisque exerceat, & in illis exercitiis vires accipiat. Re- gero ego, Apologiam loqui de eo hominis fidelis statu, quando fidem suam erogandis eleemosynis exercet. Et tunc fides, active considerata (vid. supra §. 17.) in exercitiis *B. O.* vires accipit. Cæterum in ipso emigrationis ex hac vita termino, quo remissionem peccatorum accipit & mor- tem ultimate vincit homo fidelis, num eleemosynas ero- gare, hisve erogatis fidei suæ augmentum aut vires accer- sere queat, aliis dijudicandum relinquo. Mihi quidem cer- te, ut decenti usus moderatione dicam, quod sentio, id tum non videtur amplius ἐφικτόν, cum *Hiskias* faciem ad parietem plene convertit, cumque *Paulus* eorum, quæ atergo sunt, omnino oblitus est.

§. XLVIII. Instas: Si fides hominis morientis vere pii non est fides per *B. O.* efficax, sequitur in solidum, eam esse fidem per mala opera efficacem. &c. Imo nec per bona, nec per mala: quoniam per nulla, seu ma-  
vis,

vis, quoniam in hoc quidem limite ac termino non amplius est ενεργημένη δι' αγάπης, verum tantummodo ληπτική τῆς σωτηρίας. Id quod tantisper manet verum, usque dum probetur contrarium. Paulina quippe sententia Gal. V, 6. ενεργειαν fidei tribuit, non, quatenus justificat aut salvat (Sic nimirum ei τὸ ἰσχυεῖν in Christo Jesu primario vendicaverat) verum quatenus sequitur justificationem charitas, & quatenus ex operatione per charitatem agnoscitur fides. Proin cum B. Höpfnero denuo l. cit. negamus dici posse, quod fides quando & quatenus justificat, cooperetur operibus. Cæterum quod illam, quæ actu justificat & salvat, fidem, quodve exeuntē vere fidelem bona opera vel in ipso beatæ solutionis actu sequantur, quodve eam ostendant etiam in ipsa æternæ σωτηρίας λαβῆ, nondum ex verbo Dei deductū confirmatumque est. Redi, si lubet, ad ea, quæ superius §. 31. stitisse juvat. Pergis instando, hominem tamen fidelem usque dum efflaverit animam, manere fidelem, manere oviculam Christi utilem, manere palmitem vitis frugiferæ frugiferum. Respondo ego, utique ipsum manere fidelem, manere oviculam, manere palmitem, ob fidem scil. in ipso met obitu perseverantem; manere etiam frugiferum, utut fructus fidei non amplius ferantur, sed jam antea subinde lati sint; perinde, ac palmitem, a quo fructus jam decerpti sunt, nihilominus frugiferum per distractionem appellamus, utut hos eopse anno non soleat secundo ferre. Durat igitur hic vita gratiæ divinæ in ipsa etiam morte. Durat vita spiritualis sive vita fidei πρώτως accepta (vid. supra §. 16.) Durat insuper vita hominis fidelis; quando quidem, uti ramus aureus per aurum est aureus, ita per vitam fidei etiam homo fidelis est fidelis, sicque vita fidei & vita hominis fidelis eatenus manifeste coincidunt. Enimvero, quicquid hujus sit, inquis, fides illa ληπτική τῆς σωτηρίας ex parte exeuntium aut

aut

aut cessat ab amore Dei & proximi, aut non cessat. Si cessat, est utique efficax per mala opera, & impingit in omnia præcepta Dei. Si non cessat, est efficax per opera bona. In promptu responsio est: primo, si fides exeuntium spectaretur in præsentia **LEGALITER ET ABSOLUTE**, argumentum hoc fortasse nonnihil ponderis habiturum. Jam vero novimus, eam in hoc, quod terimus, negotio, & in hoc, quem ventilamus, casu, considerandam esse **EVANGELICE & CORRELATIVE**, eo certe sensu, ut subjectum credens non amplius currere in studio & stadio bonorum operum, dilectionis Dei & proximi, inque exercitio virtutum, sed coronam modo sive brabeum accipere intelligatur. Quæ est distinctio manifesta Scripturæ **1. Cor. IX, 24, 25**. Deinde nondum corroboratam video sequelam illam: Si fides exeuntium cessat ab amore Dei & proximi; E. est per mala opera efficax. Uti enim bona arbor tempore hyemali cessat esse ferax bonorum fructuum; nec idcirco tamen est ferax malorum; quandoquidem tum nullorum plane actu ipso est ferax: Ita facilis profecto erit accommodatio, si attendere juverit ad ea, quæ sub initium hujus thesios regeffi. Fides in hoc quidem adipiscendæ salutis apice, ubi purum putum est organon passivum, nec bonorum, nec malorum operum fructus edit; sed solam virtutum Christianarum bonorumque operum, cujusmodi sunt dilectio Dei & proximi, radicem retinet. Vid. *Dn. D. Deutschm.* in der Antwort vor die Christluther. Vorst. part. 2. p. 152. ubi hæc usurpat verba: Der Glaube solange er in den Sterbenden ist / behält er die Tugenden nach der Wurzel / nicht nach der Ausübung / davon hier eigentlich gehandelt wird; aber das Ende des Glaubens ist die Seeligkeit / **1. Petr. I, 9**.

§. XLIX. Urges præterea, in ultimo vitæ halitu identidem vel exteriora, eademque maxime varia, signa *evangelicas*

G

*varias*

*varias* comparere, vel interiores certe Spiritus S. motus negari haud posse: Spiritum enim Sanctum, in hujusmodi templis habitantem, omnium minime esse otiosum; sed ipsos ad exercitia pietatis & patientiæ, cum primis ad ardentissimas omnium preces, si unquam, his certe in doloribus & angustiis animare, atque adeo fidem eorum ad elegantissimos omnium fructus ferendos excitare. Ecquis ergo negaverit, in media oratione posse nos expirare? Ecquis reclamaverit experientiæ? Ecquis non optaverit inter hæc sua ipsius a Spiritu S. excitata suspiria emori? Enimvero liceat reponere, quod hic distinctu sit opus inter τὰ προηγμένα sive ea, quæ extremum vitæ spiritū antecedunt ejusdemque sunt quasi prodromi & proximi anteambulationes; ac τὰ ὑστερότερα sive ea, quæ præcise ad illud ἀρτι τρισπόθητον Apoc. XIV, 13. pertinent aut eidem adjacent, quæque ipsummet ἐν θανάσι τὸ νῦν, ut ita dicam, Simeonium immediate contingere ac stipare consueverunt. Largior, si spectemus *illa*, fidem in multis Christianorum effectus plane admirandos ac stupendos producere; quam & istud adjungam, in multis etiam hæc Spiritus S. opera non sine maxima agonizantium infirmitate perfici. Dantur nimirum Heröes in fide; dantur etiam pusillanimes & ὀλιγόπιστοι, quos tamen & ipsos Pater misericordiarum haudquaquam despicit. Eo itaque sensu vovemus, ut ultimum Christi verbum in cruce sit ultimum nostrum verbum in hac luce. Eo sensu nihil magis a Deo, quam hanc præparationem constantissimam ad mortem instantissimam nobis optamus. Sin hæc pensitemus; petitur τὸ ἐν ἀρχῇ. Ecquis enim, amabo, certo noverit, si vel devotionis signum forinsecus compareat, quod nobis videatur τὸ ἔχατον istud ἀρτι contingere, *wann einem Sterbenden unserm Vermuthen*

muthen

muthen nach mitten im Gutes thun / im Seuffzen oder Be-  
ten re. die Seele ausgehet / istud præcise esse τὸ ἕχατον? Expi-  
rantibus externis membris ultimum moriens cor nondum  
expirasse potest. Proin feralis hujus puncti expectatissi-  
mique ac desideratissimi momenti τῆ διαλυτικῆ notitia ac-  
curatior soli cordium Scrutatori tutius vindicatur. Quod  
idem multo magis de actibus & suspiriis internis, quæ se-  
cus sentientes etiam ante luctam penitus exantlatam, &  
quidem ante istud lætificum τὸ ἀγρι divinitus datum, quo  
fides coronam accipit, homini fideli autumant inhærere,  
arbitror esse respondendum. *Dies nostri* (ratione singula-  
rum horarum & minutorum) a Deo *קרוצים* præcisi ac defi-  
niti sunt Job. XIV, 6.

§. L. Oggeris: Eccui bono hæc disputantur, five  
viatorem, in limine stantem, iter emensum, ac in patriam  
jamjam introeuntem fides salvet ejusmodi, cui B. O. sunt  
associata; five ejusmodi, cui B. O. non sunt associata: modo  
salutem in re adipiscatur? &. Imo vero plurimum interest  
Christiani morientis, ut sine qualibet vel causali, vel non-cau-  
sali, justitiæ propriæ associatione, *χέσει* aut habitudine illud  
*μόνον πισυε* Luc. VIII, 50. circa ipsum et limitem salutis in re ac-  
cipiendæ sartum atq; tectum retineat: Quandoquidem *μονό-  
της* illa fidei justificantis & sine omni propriæ justitiæ conjun-  
ctione salvantis in hoc quidem articulo sic comparata est, ut  
meritum Christi, ex ipsius verbi divini suffragio, cum operi-  
bus nostris sit simpliciter incompatibile; atq; hic proinde fi-  
dei non subordinentur, sed opponantur bona opera, ceu  
constanter edocemur superne a B. Königio §. 31. cui consona  
tradit D. Kromayer. *Theol. Posit. Pol. p. 658* docens, IN HOC ju-  
stificationis ACTU Scripturam fidem & opera sibi opponere.  
Uti enim hic media ordinaria *δοτικὰ*, verbum & Sacramen-  
ta ex parte Dei suam efficaciam sine omni associatione alte-

rius rei oppositæ exerunt : Ita & medium *ληπτικὸν* fides tum ex parte nostra solum atq; solitarium est sine ascitis operibus, cum salvatio in fieri est, cumque re ipsa acquiritur & obtinetur. Interest nostra maxime, fidem justificantem, qua talem, & in ipso justificationis ac salvationis actu positam, a fide renovante, qua tali, in tempore dignoscere. Interest, inquam, conscientiæ nostræ plurimum, istud momentum, a quo tota æternitas pendet, probe observare. Siquidem tunc obtinebit vetus dictum : Aut nunc, aut nunquam!

§. LI. Ut igitur excellenti divinæ gratiæ opulentia moribundi perfruemur, & benignitate erga nos infinita in Christo Jesu Eph. II, 7. utque animam nostram fidei Creatori, quoad viximus, *ἐν ἀγαθοποιίᾳ* commendatam, tunc *ἐν τῷ μόνον πιστεύειν*, tanquam pretiosum depositum, commendemus, interest quam maxime nostra, hic articulum renovationis a justificationis articulo decenter ac solite discernere, ne justificandi in hora illa tremenda operum cum fide coexistentiam necessariam arbitrando desperemus, & tunc ex imperfectione justitiæ inchoatæ atque immunditiæ operum coram tribunali illo extreme verendo & horrendo etiam imperfectionem justitiæ imputatæ atque immunditiem cordis, fide purgandi, arguere incipiamus. Desperatio certe non potest non esse præsentissima, si bona opera, quæ ob adhærentem imperfectionem atq; immunditiem tegenda erant, in oecumenico illo a mortalitate ad æternitatem transitu una cum fide in conspectum Judicis afferantur. Videndum ergo, ne una cum holoserico sanctorum, quo animæ stolis albis amictiendæ, Domino occursum, & a corpore peccati liberandæ sese parant, τὸ ἐπιβλημα justitiæ propriæ, neve τὸ σκύβαλον a lege Dei satis detectum una cum auro, neve calceos simul cum pedibus, neve ignem alienum simul cum vero ac genuino in conspectum

ctum



Etum Dei tunc adducentes ipsi displiceamus, faciamusve, cum nihil immundi coelestem Hierosolymam ingressurum sit, fidei ipsius ac *πεποθήςσεως* salvificæ, quæ in solo Jesu Christo *ἰαχίαι*, quæque in iudicio illo personali ac gravissimo sola consistit, triste naufragium. Videndum ad summum est, ne periculum tum incurramus longe maximum, cum solus Christi sanguis miseris animabus nostris, tanquam columbis in foramina petrae sine omni opere proprio volantibus, æternum opitulari potest, si autumaverimus, indumento justitiæ Christi etiamnum assui debere propria ac nostra opera. Ab hoc autem tum irreparabili damno, tum extremo periculo sumus immunes, si, ut verbis Lutheri denuo utar, tam longe inter se tunc distincta permaneant fides & opera, quam cœlum & terra, sique sponsam, animam nostram, Christo solam in conclave adducamus a motis omnibus ministris, operibus, non omnem modo *σωσῶντηριονοίαν*, verum omnem quoque *συνεσίαν* operum cum fide in illo per mortem ad vitam transitu prorsus declinando. Quod pius ille Studiosus Wittebergenensis moribundus observaverat, ex quo D. Lutherus quæsierat, was er seinem Herrn Christo bringen wolte. Ille, alles Gutes. Lutherus: Seynd wir doch alle arme Sünder; was er ihm denn wolte mitbringen. Ille: Domine Doctor, ego afferam cor contritum & conspersum sanguine Filii Dei. Lutherus: Mein Sohn/ wilt du das mitbringen/ so bestehest du wol/ und darzu helffe mir und dir Jesus Christus unser Heiland. Du hast das Beste auserwehlet; Gott helffe uns allen! prout rem ex D. Selneccero narrat Titius in Locis p. m. 784. & seq. Verbo: Sola in spatio isthoc nimis angusto remanet ac necessaria est nobis justificatio tanquam effectus pœnitentiæ immediatus; Ergo tum excluditur ab hac *λήψει* omnis *ποιήσις*, excluduntur ab anhelitus illius *τῶ σενοχώρῳ ἢ σενοπόρῳ* limine omnia bona opera.

G 3

§. LII.

§. LII. Non, credo, in partes asciscetur, aut in sequio-  
rem potius trahetur sententiam id, quod Jacobus habet,  
Epist. cap. II, 22. βλέπεις, ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτῶν,  
καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη, *Vides, fidem COOPERATRICEM  
fuisse operibus illius (Abrahami) & EX OPERIBUS FIDEM IL-  
LIUS PERFECTAM FUISSE REDDITAM, seu consummatam.* Un-  
de dudum id arguere voluerunt οἱ ἐξ ἐναντίας, τὰ ἔργα ad  
ipsam fidei formam attinere, atq; inde fidem suam forma-  
tam mirifice incrustaverunt. Arguat quis ex mente eorum:  
Si fides exeuntium est sine operibus, sequitur, eam in morte  
esse mortuam. A. falsum est posterius. E. & prius. Enim-  
vero, quæ Jacobus loc. alleg. tradit, ea ad justificationem  
non in iudicio rigido, examinatorio, exactorio aut absolu-  
torio; sed in approbatorio saltem, laudatorio, & declara-  
torio, item in δεικτικῶ seu testificatorio spectatam attinent.  
Conf. post tot conciliatores *B. D. Waltheri Disp. anno 1690.  
d. 22. Jul. Wittebergæ super hac materia ventilatam §. 5.* Sic  
igitur etiam vocabulum πίστις in allegato loco, ut & vers. 24.  
non significat fidem salvificam aut actus essentielles ejus-  
dem, notitiam, assensum & fiduciam; sed fidem extrinsecus  
declaratam sive ipsammet externam professionem fidei. Ita  
namque descripsit Jacobus fidem illam v. 14. quod sit,  
cum homo dicit, se habere fidem versiculo quinto comen-  
datam, eamq; comparaverat dilectioni, quæ fit verbis & lin-  
gua, vers. 16. Non igitur h. l. fidem salvificam & justifica-  
tionem, ut est in sua natura; verum potius ut est agnoscen-  
da, considerat ac dilaudat.

§. LIII. Proinde συνεργία sive cooperatio quoque fidei  
hujus (haudquaquam ἰσιωδῶς, sed σημαντικῶς καὶ δεικτικῶς  
acceptæ, & in os, in manus, in pedes cæteraque membra  
& organa corporis erumpentis, seseque Deo & proximo  
demonstrantis) cum operibus non in aliqua efficientia, sed  
in forinsecus prodeunte notificatione atque ostensione ju-  
sti-

stificationis consistit, significatque mutuum, eumque ordinatum, fidei externæ cum operibus concursum ad ἀποτέλεσμα hoc, quod est ostensio fidei salvificæ & justificationis. Hæc fides τελειῶται seu consummatur per opera, id est, τελείως ἀποδείκνυται, σημαίνεται καὶ ἀποδηλῶται. Perficitur, i. e. perfecte declaratur; Perficitur non ἀπλῶς, sed duntaxat κατὰ τι, non ὄντως seu realiter, sed σημαντικῶς seu declarative. Redditur quippe totale & perfectum signum veri Christiani, cum absque operibus non justificet, i. e. justificationem non ostendat. Fides autem interna, cum non assensitiva tantum sit, sed etiam fiduciali apprehensione teneat objectum justificum, sola facit verum Christianum, & perfecte justificat absque operibus. Conf. Höpfneri Disp. XII. de Justif. pag. 1082. 1132. & seq. Quæ cum ita sint, locus Jacobeus ad præsentem casum, ubi fidelem hominem exeuntem in iudicio potius absolutorio Rom. VIII, 1. quam testificatorio Job. I, 8. 11. 3. consideramus, non facit. Neq; stringit argumentum, quod hoc pacto fides exeuntium sit in morte mortua, utpote bonis operibus destituta. Etenim fides in sensu Jacobeo, prout active & testificatorie sese habet, & prout est fidei vita δυτέρως talis, ceu §. 16. ostendimus, in præsentis justificationis actualisque salvationis foro non spectatur: neque est fides justificans, ut talis, & in ipso justificationis actu considerata; sed saltem fides renovans seu fides in os cæteraque corporis membra forinsecus erumpens, sed fides per bona opera Deo & proximo sese demonstrans. Adeoque totus textus Jacobeus omnino inconvenienter & præter rem non sine quatuor terminorum πλεονεξία hic nobis opponitur, dum prius in argumento vocabulum fidei *correlative*, posterius vero *active & testificatorie* acceptum sistit.

§. LIV. Neque etiam suffragabitur illis, qui contrariam tuentur hypothesein, Paulinum illud Hebr. XII, 14. de *sanctimonia*, SINE QUA nemo videbit Deum, agens; unde  
 necessi-

necessitas præsentiaë B. O. etiam tunc, quando incipimus videre Deum, probari posse videtur. In promptu quippe responsio est, *a)* h. l. non modo sanctimoniam in vita, sed & sanctimoniam in fide commendari; ut adeo sanctimonia vitæ seu operum axioma istud, quo nemo sine ea visurus Deum esse dicitur, habeat *ex accidenti propter adjunctam fidem*, ceu loquitur B. Balduin. Comment. ad h. l. p. m. 1644. in fol. *β)* B. Hornejum Comm. ad h. l. p. 258. observasse, non loqui Apostolum de infantibus, qui post Baptismum in infantia, aut ante annos discretionis, ut vocant, decedunt; nec etiam de nonnullis, qui in morte ipsa primum convertuntur aut resipiscunt. Proinde concessit ὁ μακαρίτης, infantes, post Baptismum decedentes, aliosque in morte ipsa primum conversos, sine sanctimonia videre Deum. Qui vero hac nostra ætate sequiorem sententiam defensitant, ne infantibus quidem decedentibus fidem, a qua B. O. absint, videntur vendicare velle. O utinam necessariam isthanc fidei & bonorum operum juncturam, quoad in statu continuandæ renovationis sumus, diligentius exprimere ac æmulari, quam eandem ad optatam *ῥοπήν καὶ ῥιπήν*, finitæ jamdum renovationis tanta cum sollicitudine requirere disceremus! Ubi enim non amplius continuatur, sed finita est renovatio; ibi nec ullum amplius bonorum operum effectum producere, & ita neque cum his conjungi potest.

§. LV. Objicis mihi ex antecedentibus: Ecceur itaque disputamus de re ignota & in hac quidem mortalitate impervestigabili? Ecceur non ingenuam potius & cautam profiteamur ignorantiam? Ecceur lites ferere juvat super ejusmodi re, cujus theoria in Scripturis haud revelata, praxis autem suæ cujusque experientiaë reservanda est? *Πρόφασις* tergemina huc redit: *κ)* Si justificatio & renovatio tempore simul

simul

simul fiunt, sequitur, omnium minime in articulo mortis justificationem a renovatione distrabi aut separari posse. Enimvero & ex antecedentibus, ipsummet Spiritum Sanctum distinguere inter LUCTATIONEM & COMPREHENSIONEM, I. Cor. IX, 24. Phil. III, 12 14. Quam impossibile igitur est eum, qui apprehendit brabeum, etiamnum luctari & currere; tam impossibile est, ut fides illa, quæ jamjam accipit vitam æternam, eo ipso, dum accipit, etiamnum luctetur, & renovet hominem ad bona opera. Tametsi ergo justificatio & renovatio ut plurimum tempore simul sunt, qua statum luctationis & curriculi adhuc durantem; quod tamen etiam simul sint, qua actum comprehensionis præsentaneum, nondum satis probatum fuit. Durant opera, dum in via sumus & currimus; dum apprehendimus, non item. Cum igitur non amplius durant; ecqui, amabo, tum fidei coexistere, aut cum ea simul existere possunt? *Εὐδηλον.* 2) Si neque momentum istud, quo justificatio fiat sine renovatione, neque istud, quo fides ab apprehendendo ad efficiendum & operandum transeat, in praxi doceri potest, seq. omnium minime in articulo mortis id doceri posse, quomodo fides tum sit omni bonorum operum consortio destituta. & Neg. consequentiam: idq; eam maxime ob rationem, quia, cum Spiritus S. cursum nostrum a comprehensione II. alleg. manifeste distinguat, nondum solide edoctum nedum evictum est, id, quod practice doceri nequit in statu *δρομῶς* sive cursus, etiam doceri nequire in actu *καταλήψεως* sive comprehensionis. De quo igitur negotio & de qua praxi Scriptura satis clare nos instruit, ejusdem ignorantia non videtur laudabilis. Quod si interest nostra scire, qui recte vivamus ad extremum usq; spiritum; etiam interest nostra scire, qui recte credamus ad extremum usque spiritum. Quod si porro verbum Dei practice unica norma & regula nostra tam in credendis, quam agendis merito agnoscitur, quoad vivimus; utique etiam practice in ipsissima

H

sima

lima morte & itinerarii transacti clausula unica norma & regula illius maxime ἀτόμῃ, quo suspirium nostrum novissimum juxta voluntatem divinam terminari debet, sit oportet. Quotquot secundum canonem isthunc placide obdormiscendo incedunt, super eos sit pax! Jam autem satis aperte præscribit nobis hæc regula fidelium hominum cursum; satis manifeste etiam eorundem apprehensionem. Quod attinet ad illum; vera sunt, quæ supra statuebamus, ut plurimum in praxi doceri nequire, ecquonam præcise momento fides ab apprehendendo transeat ad operandum. Quod vero attinet ad hanc; profitemur, nos tum maxime a tergo relicturos omnia, nos operum oblituros, & manum fidei solummodo ad id, quod coram est, extensuros esse. Tantum igitur abest, ut eam ob causam, quoniam ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ doceri hac in vita non potest illud temporis momentum, quo fides apprehendendo ad operandum transeat, existimare conveniat, quod necessario in articulo mortis conjuncta sint fides & opera, sive, quod nexus fidei operumque etiamnum duraturus sit, ut potius Scriptura duce asseratur (idq; per hætenus dicta & adducta) in ultimo illo vitæ nostræ puncto fieri omnino separationem fidei operumq;, hominemq; credentem eo momento, quo brabeum apprehendit, non amplius luctari aut currere.

§. LVI. 3) Sed tamen fides tum nondum finiit luctam, cum homo fidelis, qua talis, moritur; verum eo ipso luctatur, dum luctam terminat; atque sic in ipso etiamnum certamine, quod cum morte iniit, versatur homo justus, dum moritur. Negasne igitur hoc? Fuerit ergo dicendum, fidem tum finiisse luctam, cum etiamnum luctatur, aut certe coronari ut non luctantem. R. Utique non coronatur fides ut luctans, sed ut vincens, & posteaquam νομίμως ἀθλήσῃ, legitime certaverit. Tim. II. vers. 5. Eopse igitur momento vitæ præcise ultimo (qua

voce

voce utitur *B. D. Meisnerus Quæst. Vexat. III, §. 12.*) cum accipit hanc vitæ æternæ coronam, finit & absolvit totam vitæ temporalis luctam. Etenim *γινόμεθα πιστοὶ μέχρι θανάτου*, morsq; ultima est hostis. Eo itaque *τῷ νῦν*, quo mortem non per opera, sed per fidem vincit homo fidelis, non amplius luctatur cum morte, sed jamjam finivit luctam; Eopse momentoprehendit illum, qui absorpsit mortem *εἰς νίκος ἢ εἰς τέλος*, inque illo, per illum, & propter illum *εἰς νίκος ἢ εἰς τέλος τῆς πίστεως* vitam æternam accipit: Eopse momento (quo fit mutatio status & transitus ad vitam æternam, cujusque angustias ita præmeditemur, oportet, ut noverimus, illud simul initium æternæ beatitatis fore, sicut hac durante vita omne *νῦν* aut momentum sic est terminus præteriti seu antecedentis, ut una sit initium subsequenti seu futuri temporis) vivit in media morte; nec moritur, etiamsi moritur. Luctatur itaque tum, cum finit; non autem amplius luctatur, sed jamdum finivit luctam, dum vincit.

§. LVII. Arcte (fateor) cohærent subinde ea lucta, & ea victoria. Interim eopse puncto exoptatissimo, quo clypeus fidei est instrumentum luctæ, non potest in triumpho portari, ceu signum victoriæ. Per multas quidem tribulationes oportet nos ingredi regnum cælorum; eo ipso tamen, dum prensamus coronam, haud amplius tribulamur. Outinam moriatur anima nostratis hac morte justorum! Tela prævisa minus nocebunt; estque consideratio nunc præsens aliqua ad beatam analysin & superandam angustam illam omnis carnis viam præparatio. Quo olim nomine *Serenissimus Saxonie Dux Georgius*, cum Filio JOHANNI moribundo articulum solatium de justificatione per fidem in Christum exposuisset, & ab ejusdem Conjuge, Ducissa Rochlizensi, Philippi Landgravii Hassiæ Sorore, his interrogatus esset verbis: *Wieber Herr Vater / swarum läst man dieses nicht öffentlich im Lande predigen?* id responsi dedit:

H 2

dedit:

dedit: Liebe Tochter / man solls nur den Sterbenden sagen / und nicht den Gesunden &c. comparate nimirum loquens, & innuens, maxime necessariam Christiano moribundo esse notitiam articuli de justificatione per fidem. Conf. *Titius lib. cit. p. 778. & seq.* Quid multa? Non rationis humanæ, sed ipsiusmet Spiritus S. distinctio est, quam inter LUCTATIONEM & COMPREHENSIONEM brabei voluimus allatam, atque exinde ἐν φανασίας nostræ oeconomiam ex verbo Dei revelato salutariter & in antecessum didicimus, hausimus, expressimus. Sic ergo, ceu toties inculcatum ivi, nexus fidei & bonorum operum, in vita ut plurimum ἀδιάλυτος, sub extremam tamen lineam inque ultimo mortis τῷ νόῳ solvetur, atque ad comprehensionem cœlestis brabei tam certo nobis haud amplius aderit, quam certum est, eum, qui aliquod brabeum amplectitur, hoc ipso, dum amplectitur, non amplius currere. Tandem prætextus ignorantiae, cujus professio super re in sacris expresse non determinata omnium tutissime eligi putabatur, secus sentientibus magis debebat suaderi, quam nobis. Illi nimirum ipsi sunt, qui fidei & bonorum operum conjunctionem ne in articulo quidem mortis desituram esse, confidenter pronunciant. Deinde loca Scripturæ, operosius adducta, contrarium potius determinare, & quod arctissima illa εἰσόδος, quæ simul ad æterna tabernacula εἰσόδος est, per SOLAM FIDEM, adhuc præsentem nosque comitantem citra ullam bonorum operum participationem, præsentiam aut comitantiam suscipi debeat, omnium exquisitissime inculcare, ex adhuc dictis evidenter patuit.

§. LVIII. Etsi, inquis, hæc perspicue satis deducta & probata sunt; grande tamen & arduum me dubium adhuc exercet. Actus quippe fidei dantur multiplices: Alius, quo ad ἐπίγνωσιν σωτηρίας tendendo captivamus rationem, & abnega-



abnegamus nos ipsos: Alius, quo ad Christum Servatorem confugimus, eumque voto & desiderio prosequimur, esuriendo scilicet ac sitiendo justitiam Matth. V, 6. Alius, quo in eo jam invento acquiescimus, tanquam in summo bono semel acquisito, atque plerophoria quadam hunc firmiter tenemus: Alius, quo credimus, nos credere: Vicissim alius, quo credimus, nobis peccata jam remissa esse, & bonam cum fide conscientiam retinemus &c. Si ergo audiendus est *B. D. Calovius*, uti est audiendus, quando *Syntagm. Anti-Syncretist. Num. XIII. §. 5.* docet, fiduciam, qua credo, peccata mihi jam esse remissa, consequens quoddam fidei justificantis esse, quæ non in illo consistat, verum in eo potius, quod credam, mihi peccata propter Christum remitti, gratiam Dei & justitiam Christi apprehendens: Si etiam audiendus est *Dn. D. Bechmannus* (est autem) quando actum illum fidei, quo quis credit sibi peccata esse remissa, justificatione posteriorem nominat, & affirmat, fiduciam illam, de qua Apostolus loquatur Eph. III, 12. sese habere ad fidem, uti se habet effectus ad causam, *Annot. ad Compend. Hutt. p. 449. 455:* quaeritur nunc, ecquid de cæteris quoque actibus modo commemoratis veniat sentiendum, qui sunt quasi ἀπορροαὶ τῆς πίστεως, per quas illa sese exerit, quæque eam jam stantem, jam labantem comitantur; quando quidem arundinem quassatam Dominus hic confringere aut linum fumigans extinguere non vult *Es. XLII, 3. Matth. XII, 20.* Itane ergo nosmet in extrema illa ad vitam alteram μεταβάσει ipsos probamus? Itane scimus, nos stare in fide? Possumus profecto id scire 2. Cor. XII, 5. Hic proinde actus est bonum opus internum, quod cum fide indivisim connectitur. Sic desiderium Christi apprehendendi, sic fiducia super peccatis jamdum remissis fidem jam præsentem arguunt, neque sunt φρονήματα σαρκός, sed Spiritus S. operationes. Ergo sunt actus, cum fide

H 3

fal-

salvifica indistracte cohaerentes, idque omnium maxime in ultima vitalis auræ expiratione ejusdemque cum gloria cœlesti permutatione.

§. LIX. Insigne, fateor, dubium & arduum; solutu tamen possibile. Quod enim de captivatione rationis & abnegatione nostri, nec non de fame & siti spirituali urgebatur, hoc est, de desiderio JESU CHRISTI apprehendendi; illud fidei LUCTANTIS est, NON COMPREHENDENTIS. At vero de hac, non illa, in præsentī fuerat sermo. Porro fides reflexa, qua credens scit se credere, non justificat, aut salvat, quæ talis: At vero de fide justificante & salvante formaliter tali, quam cōmuniter in scholis directam vocitamus, & non alia, in præsentī controvertebatur. Addo, quod illa certe reflexio haudquaquam tribui debeat homini justificando, sed non nisi justificatum ordine naturæ sequatur. Illum denique fiduciaæ actum, quo credimus peccata nobis remissa esse, quemque *B. D. Calovius* appellabat consequens quoddam fidei justificantis, nec secius illum, quo bonam cum fide conscientiam retinemus, inseparabiliter cum ea se fide justificante, qua tali, in ipsomet beandorum exitu cōexistere affirmantibus incumbit probatio. Sed enim radicem talium actuum fidei interiorum in morte superstitem manere sufficit; fructus ipsos adesse, nondum solide ostensum fuit. Ecquis autem, amabo, dicet, fructus ab arbore, filias a matre, & ita vel interna hæc bona opera a fide, simpliciter non posse separari? Est fides mater bonorū operum, etiam interiorum, in renovatione: At in justificatione non nisi vi objecti justifici in effectum hunc organice influit. Cæterum actus probatorius fidei, aut stantis, aut labantis, ad luctam magis, quam ad victoriam Christianorum, eamque, de qua nunc loquimur, exeuntem debebat referri. Esto fides piorum e vita migrantium arundo quassata; esto linum fumigans; non alia

alia

alia tamen venit reputanda ea fides, quam victrix. Neque enim virtutem vincendi a se, neque a cognitione historica ejus propositionis, quod *Christus sit pro omnibus hominibus mortuus*, neque ab assensu eidem propositioni præbito, quod *Christus pro omnibus hominibus certo sit mortuus*, neque a fiduciali applicatione ejusdem propositionis, nempe, quod *Christus pro me sit mortuus*; verum unice ab objecto apprehenso, videlicet JESU CHRISTO sufficientissimoque ipsius merito, propter quod gratiam Dei, propter quod remissionem peccatorum, propter quod vitam æternam obtinet, sortitur. Hujus ipsius objecti testificatrix promissio Evangelica unum necessarium, verum necessarium, & bonum necessarium nobis offert. Ab hoc nulla calamitas, & ita ne mors quidem ipsa nos separabit Rom. VIII, 38 Tantum adest, ut justificationem cum sanctificatione, arctissimo quidem nexu, quo ad currimus, illi juncta, confundere, & opera adeo interna, quæ non nisi justificatû ordine naturæ sequuntur, justificando tribuere deceat. Frustra ergo convitiis petimur, quasi fide mortua hominem justificari doceamus, ignorantibus nimirum Dissidentibus, in quonam vita fidei consistat, & per quid sese exerat. Vide supra §. 15. 16. 33. &c.

§. LX. Sed enim fallor? an denuo offenderat te vocabulum FORMÆ, hætenus toties adhibitum, quo fidei justificantis, formaliter talis, genuinam rationem & naturam aliquanto operosius ivimus expressum? Tua quippe sententia ad Physicam & Metaphysicam remittendum fuerat isthoc vocabulum; neque ullus ei concedendus aut indulgens in Theologorum foro locus. Inde nimirum tantopere scandalizabatur adversa pars, ut litem, de forma fidei aliisque justificationis partibus coortam, non nisi ad respectus quosdam Metaphysicos relegaret. Enim vero præter ea, quæ superius §. 7. commentabamur, & afferebamus nodohuic  
secan-

secando haud inidonea, jam quidem certe addimus istud, mirum nempe fore, ni sic animati etiam terminum simplicitatis Dei, terminum Trinitatis, terminum essentiae, terminum personae, ab Augustanae nostrae Confessionis articulo primo abunde expositum, ex Ecclesiis Evangelicis proscripserint, aut cum Remonstrantibus ad summum vellicarint. Sane cum res ipsa, his literarum notis significata, *B. D. Heerbrando Comp. Theol. p. m. II. 12.* mirum quam apposite monente, in Scripturis contineatur, utimur ea libertate, quam Deus concessit nobis in creatione, qua hominem Dominum, sicut rerum omnium, quae sunt in hoc mundo, ita etiam vocabulorum, constituit. Insuper cum Paulus donum interpretationis in Ecclesia esse doceat, quae tamen fidei sit analoga Rom XII. 7. haec vero aliis consistat vocabulis etiam, quam quae in Scriptura S. habentur; ideo tyrannis ista in Ecclesia libera ferenda non est, qua uti prohibemur vocabulis, quibus rerum natura, quae in Sacra Scriptura continentur, exprimitur. Ac aliud agit Satan. Sublatis enim vocabulis propriis res ipsas quoque obscurare, tollere & evertere conatur: nec tam vocabula, quam res ipsas, iis contentas, odit. Sic haeretici ipsam rem, vocabulo Trinitatis comprehensam, negabant. Eodem modo Arriani vocabulum ὁμοούσιος ferre nolebant. Eodem consilio rejiciunt Papistae particulam Sola in praedicatione: Sola Fides justificat. Neq; aliam ob causam vocabulum formae aliique termini Philosophici, in acroamata praesertim Theologia sobrie usurpati, Novaturientibus quibusdam sordere videntur. Id quod nihil aliud est, quam Ecclesiam orthodoxam ab adiaphorismo illo verbali, quo tam diu gaudet, pro imperio deturbare velle. Ecqui vero, hunc terminum formae ignorantes, obviabimus Pontificiis, fidei informem & formatam oggerentibus, quarum illa omni prorsus forma

forma

forma careat & in nudo assensu, verbo Dei præbito, consistat, hæc autem charitatem & bona opera sibi conjuncta habeat? Ecqui solide eosdem refutabimus, ostendendo, quod fides potius charitatis forma, quam charitas fidei sit? Vin' ergo tandem, paucis dicam, quid sit forma fidei justificantis? Dicam id, quod dixi: Forma fidei justificantis est notitia ejus propositionis, quod *Christus sit pro omnibus hominibus mortuus apprehensiva*; est assensus, præbitus ei propositioni, quod *Christus pro omnibus hominibus certo sit mortuus*; est tandem fiducialis applicatio, quã denotat propositio, quod *Christus pro me sit mortuus, quodque propter Christi mortem Deus mihi sit misericors, mea mihi peccata remittat, idq; cum primis circa terminalia vitæ meæ facturus & æternam mihi vitam gratiose donaturus sit*. Manet itaque forma fidei meriti Christi apprehensio *B. Kromayer. l. cit. pag. 654*. Quod si ex ipsis nostris Theologis quidam interdum aliter locuti sunt; eosdem, nondum litigantibus adversariis, securius fuisse locutos existimandum est. Ad formam vero sanorum verborum tanquam ad Lydium lapidem duriusculæ locutiones illæ ad unam omnes veniunt revocandæ.

S. LXI. Esto, inquis; Vocabulum formæ non incommode adhibeatur ad argumentum isthoc Theologicum acroamaticè pertractandum. Agnosco responsionum ac solutionum tuarum evidentiam, neque aliter capio verba cantici, quod Paulus Speratus Episcopus Pomezanensis composuit, & de quo notabilia narrat *B. Dn. Seckendorffius Lutheranismi Lib. I. pag. 271.*, Ecclesiastici:

So lerne jetzt ein frommer Christ

Des Glaubens recht Gestalte:

Nicht mehr/dann lieber Herr mein /

Dein Todt wird mir das Leben seyn;

Du hast für mich bezahlet.

I

Residet

Residet tamen mihi, hæc tua meletemata legenti ac relegendi, istud altioris indaginis dubium, firmosque in animo radices agit, num forma sive essentia fidei consistere possit, si operum omnium bonorum non modo coëfficientia, verum ipsa etiam coëxistentia eidem negetur. Fides sane in se considerata, & quatenus importat, tanquam partes essentielles, notitiam, assensum & fiduciam, circa Christi meritum occupatas, non simplex, sed multiplex bonum opus est, constans ex pluribus actibus seu operationibus, quæ secundum primum præceptum fiunt. Unde alias Nostrates contra Socinianos asserunt, fidem esse virtutem in primo Decalogi præcepto jam nobis præscriptam. Et recte. Mera enim bona opera sunt assensum præbere verbo divino, acquiescere in Christo, tanquam suo bono summo, sicque illa assensus & fiduciæ firmitate adhærere Christo, quam fides postulat. Enimvero Paulus docet, fidem hanc, quæ ipsa bonum opus est, justificare, non quatenus est bonum opus, vel opera habet conjuncta alia, sed quatenus fertur in Christum. Esto itaque. Separentur opera a fide, qua coëfficientiam in negotio justificationis: Qua coëxistentiam certe adeo non habet separatio locum, ut potius ipsa fidei essentia sit destruenda, si velis a fide tollere omne illud, quod rationem operis habet. Ita vero fides erit non-fides, notitia non-notitia, assensus non-assensus, fiducia non-fiducia. Habent ergo mea sententia beate morientes, cum fidem habeant, etiam bona opera, etsi non, quatenus hæc opera habent, sed quatenus fide sua feruntur in Christum, justificentur.

§. LXII. Nodum hunc ut solvam, ante omnia negotio generatim, formam seu essentiam fidei per negatam bonorum operum cum ea coëxistentiam destrui. Quod ut evidentius evadat, tenendum est me in præsentis controversia fidem non *entitative*, prout est actio vel opus; verum *dunta-*

duntaxat *organice & relative* considerare: qua distinctione utitur B. Scherzerus noster *Colleg. Anti-Socin. p. 687*. Cum igitur fides justificans & salvificans, qua talis, organice seu relative spectata, quatenus est instrumentum, quo Christus cum toto suo merito tanquam correlatum ejus apprehenditur, sit aggregatū aliquod, non ex pluribus actionibus, sed potius ex pluribus omnino receptionibus, veluti supra §. 45. & passim ostendi; constanter idcirco nego, quod ea ipsa fides in hoc quidem justificationis & salvationis negotio, de quo loquor, sit multiplex bonum opus aut virtus primi præcepti. Neq; hoc ἀτις γεαφῆς nego. Ita quippe accepta a justificatione excluditur ipsa fides; & *gloriam quidem, sed non apud Deum habet, Rom. IV, 2. 4. & 5*. Concidit igitur assertio, quod Paulus doceat, fidem hanc, quæ ipsa bonum opus est, justificare. Et vero liceat ex concessio argumentari: Si fides non justificat salvatq; quatenus est bonum opus, aut virtus primi præcepti; sequitur omnino, quod illa fides entitative, ut est bonum opus aut virtus primi præcepti, spectata ad præsens justificationis & salvationis momentum minus pertineat. A. E. Obvertis illico, plures apprehensiones illas nihil esse aliud, quam plures actiones. Ego vero præter ea, quibus toties jam dilui hanc objectionem, præeunte laudato D. Scherzer. *l. c.* unum hic illustrationis gratia aspergo: videlicet ipsam quoque apprehensionem h. l. non entitative, ut est actio vel opus, sed saltem organice & relative considerari oportere. Sicut enim non ipse actus apprehensionis, qua cibum manu applico, sed ipse cibus applicatus & ingestus me nutrit: Ita me non ipsa apprehensio Christi, ut actus vel opus est, sed Christus, ut apprehensus, justificat.

§. LXIII. Tenendum 2) me hic de B. operibus non fidem entitative sumptam *constituentibus*; verum potius de iisdem organice ac relative acceptam *consequentibus*, ex eadem

eadem fluentibus, & per quæ fides ἐνεργεῖται, loqui. Proinruit illa quoque assertio, quod bonis operibus a fide separatis ipsa fidei essentia sit perimenda aut destruenda, si velimus a fide tollere omne illud, quod rationem operis habet; quodque fides hoc pacto sit non-fides &c. Ex enim οἱ ἐξ ἐναντίας, bonorum operum cum fide coexistentiam professi, non de illis, verum de his affirmativam tuebantur. Quoad igitur onus probandi non melius sustinent, rerumve suarum accuratius satagunt, quam hactenus; accedere iis tanto minus possum, quanto magis in conscientia sum convictus, sententiam contrariam, hactenus defensam, verbo Dei conformem esse. Sunto itaque mera B. O. assensum præbere verbo divino, & conquiescere in Christo tanquam summo bono: Non tamen per ea fides ἐνεργεῖται; hoc est, eam non consequuntur, sed ejusdem, entitative sumptæ, constitutionem ingrediuntur. Quod attinet ad opus illud internum, quo quis illa assensus & fiduciæ firmitate, QUAM FIDES POSTULAT, Christo adhæret; illud eatenus non constitutum fidei, sed confectarium est, quatenus ita observatur, uti fides postulat. Et hoc sensu de eo jamjam respondimus §. 59.

§. LXIV. Redimus ad praxin. Quod si fides moribundorum luctans, tentante Satana, ad eum subinde statum pertingere consuevit, ut ne pulvisculum quidem optimorum quorumque operum retineat; multo magis illud ipsum de fide coronam apprehendente nemo non videt esse pronuntiandum. Prius est assertum exercitatissimi omnium *Lutheri nostri Tom VII. Jen. Germ. fol. 164. lit. a.* Zwen Stück hat der Teuffel / damit er die Christen angreiffet / entweder über ihrem Amt / oder für ihre eigene Person / im Todtes - Kampf und andern / nemlich Sünde oder Straffe der Sünden; das größte aber ist das Schrecken der Sünde!



Sünde dadurch er das Herz blöde und verzagt machet / so er ihm fürhält: So und so hast du gethan. Und kan damit also handeln / als ein trefflicher Meister / daß er nicht allein die Sünde nimmt / die du selbst bekennen mußt / als Mord und Ehebruch ic. und dieselbe mit seinem feurigen Othem so groß ausbläset / daß das Herz dafür schmelzet / wie Salz im Wasser / sondern kan dir auch dein gutes Leben und die besten Werck zu vielfältigen Sünden und Schanden machen / daß du nicht ein Stäublein davon behältest. Unde piorum proprium est, cum Jobo omnia opera sua vereri, juxta vers. Vulgat. cap. IX. 28. censente eodem Megalandro apud B. D. Mengerling. Scrutin. Consc. p. 44. Et seqq. ubi simul allegatur illud Augustini: *Cum Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur, se castum habere cor, aut mundum esse a peccatis?* Cautio proinde est, ne, Deo tam ἀποστόλων judicante, ac Satana tentante, bona opera ad Pharisaicam persuasionem & ostentationem referamus, si opinemur, exercitium eorundem stabile fore, cum transitorium sit & fluxum, sola fide ad finem usq; hujus vitæ perseverante. Cautio insuper est, ne, si illud ipsum bonorum operum exercitium, quod (propter peccatum in carne hærens, & per ipsam demum analysin qua sensum & fomitem tollendum) impurum est, tum, cum ad summa ventum est, obtinuerimus, animam Deo impuram in manus tradamus. Sola enim fides hic cor purificat Act. XV, 9. Vid. supra §. LI.

§. LXV. *Multa paucis:* Ad statum luctæ si attendas, coëxistentiam bonorum operum cum fide cæteris paribus non nego; ad præsentaneum vero æternæ vitæ capiendæ coronæque apprehendendæ actum si respicias, eandem propter hætenus dicta & adducta penitus a salvatione & justificatione excludo. Praxis itaque a luctatione ad comprehensionem tendentium, & oeconomia divinitus præscripta

Scripta hæc esto. Quilibet agonizans, ut tandem brabeum attingat, Jacobeum illud יַקֹּבִי Gen. XLIX, 18. Jobeum illud יִתְעַד cap. XIX, 25, ac Elianum illud ἀπέχρη ingeminet, oportet. Ita vero prono citatus cursu ad Simeonium τὸ νῦν ipsamque πάσης εὐθανασίας ἀκμὴν perveniet.

O wol ist hic gewesen /  
 Welcher wie Simeon entschlâsst /  
 Seine Sünd erkennt / Christum ergreiffst /  
 So muß man seelig sterben.

Ita quilibet agonizans, tametsi *in umbra mortis ambulet*, Pastoris tamen sui fidelis præsentia cum Davide sustentabitur Ps. XXIII, 4. Ita *moriens Domino morietur*, ac manebit in ipsa etiam morte *Domini proprius*. Propter hoc enim *Christus mortuus est* Rom. XIV, 7. atque ita nec mors eum *separabit ab amore*, quo Deus ipsum complectitur in Christo Jesu, Rom. VIII, 35. Qui sic obit, tam beate obit (imo abit potius ac *transit a morte ad vitam*) quam beate Martyres olim, & primitivæ Ecclesiæ Christiani obierunt, teste Clemente Epist. I. ad Corinth. ἀτενίσαντες εἰς τὸ αἷμα τοῦ χριστοῦ, καὶ ἰδόντες, ὡς ἐστὶ τίμιον τῷ θεῷ αἷμα αὐτοῦ, ὅτι διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκχυθέν παντὶ τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπένεγκε, sanguinem Christi intentis oculis intuentes, Et quam pretiosus Deo sit sanguis, considerantes, qui propter nostram salutem effusus toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit. Edit. Ittig. pag. 14. 15. qui ipsi luctatores atque comprehensores strenui ab Ignatio Epist. 3. ad Ephesios scripta, perhibentur ἀναφερόμενοι εἰς τὰ ὕψη διὰ τῆς μηχανῆς Ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ ἐστὶ σταυρὸς, χοινίῳ χρώμενοι τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ἢ δὲ πίσις ἀναγωγέως, sublati in alta per machinam Jesu Christi, quæ est crux, Spiritu S. fune utentes; fides autem sub-vedrix erat, pag. 33. cum nimirum antea fuissent, jubente Polycarpo Epist. ad Philipp. ἀδιαλείπτως προσκαρ-

προσκαρτεροῦντες τῇ ἐλπίδι ἢ τῷ ἀράβῳ δικαιοσύνης, ὅς ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς, *indeficienter adherentes spei & pignori justitiæ, quod est Christus Jesus pag. 380.* Si hanc, inquam, œconomiam practicam observando a luctatione ad apprehensionem tenderit aganzans; tum vero mors Domini nostri Jesu Christi inter ipsum & iratum Judicem ponetur; tum ipse antea turbatus, non perturbabitur, quia vulnerum Christi recordabitur; tum inter brachia Salvatoris, ejusdemque oscula & amplexus tabernaculum corporis sui deponet; tum pretiosum in oculis Dei obibit mortem coelesteque amplexabitur ac deportabit brabeum. Plura hanc in rem dabit *B. D. Hildebr. Tract. de arte bene moriendi pag. m. 82. & seqq.* Et hæc quidem de fide exeuntium, in ipsa εὐθανασίας ἀκμῇ justificante, ejusdemq; forma genuina, non ἐνεργητικῇ, si-ve activa aut bonorum operum productiva, sed δεκτικῇ, seu coronæ ac beatitudinis receptiva, enucleato sunt.

§. LXVI. Quandoquidem igitur in exponendo ac tradendo hoc justificationis & salvationis negotio Pii nostri Majores, qui jam Theologi Comprehensores ac Triumphatores sunt, magno consensu cimelion orthodoxiæ contra quasvis suorum temporum anomalias defenderunt, idque scapham scapham mascule vocitando nobis intemeratum reliquerunt; confido, omnes Ecclesiæ purioris Ministros mecum fore agnituros ultro, nostri utiq; officii elenctici esse, ut id fideliter tueamur, adeoq; ad nostrorum eheu! temporum tot apertissimas a sinceritate doctrinæ deviationes haudquaquam conticescamus, idque vel eo, ne paulatim autoritatibus magnorum nominum sopiti, a simplicitate piscatoria magis magisque recedendo, temeremus aut ad extremum omnium amittamus depositum. Neque enim hic tepidos, sed fervidos esse nos vult Dominus ille, qui rationem gravissimam uti ab aliis violati, sic a nobis asservati

K

Con-

Concrediti, & administrati muneris elenctici, propediem exiget. Facile profecto concipit juvenus, difficillime autem deponit speciosas ejusmodi novitates, & εὐρήματα vel cordatis & oculatioribus impositura. Ego vero cum non alium mihi scopum fixerim, nisi hunc, ut consulerem divinarum literarum cultoribus, utpote quorum maxime interest, percrebescentibus hodie intra subsellia Academica tot sententiarum divortiiis nosse, quid sit statuendum, tanquam verbo Dei congruum, quidve, tanquam a verbo Dei dissonum, reprobandum veniat; hac in Exercitatione pro eo, ac debui, & alibi quoque factitavi, nulla, quæ vocant, personalia, verum mera potius realia strinxi, omnino ratus, neutiquam in levi, futili aut inani verborum contentione, sed in formulis formæ sanorum verborum e diametro contrariantibus, & super gravissimo doctrinæ salvificæ capite ab adversa parte usurpatis, a rectius sentientibus autem merito rejectis atq; impugnatis, disputationem consistere. Restat, ut eo ipso, dum articulum de forma fidei justificantis, qua talis, & in ipso justificationis ac salvationis actu receptivo atq; apprehensivo constitutæ, factum atq; rectum retinere cupimus, imitemur antiquitatem orthodoxam, quæ cœnũ ab Origene illi admixtum sollicitè expurgavit, & venenum, sequiori tempore a Scholasticis infusum, exquisitissime hinc summovit. Haud aliter nostri est officii Paulinam sequi hypothesin, & voluntatem Dei, occasione corruptelarum hætenus indicatarum nobis revelatam, pro unica norma & regula agnoscere, sicque articulum jam præsentem a quisquiliis expurgare, ut ne pulvisculum quidem bonorum operum intra ejusdem penetralia faciamus reliquum. Restat tandem, ut *Neoterici* isti, qui adhuc, θεσιν φυλάττοντες ac errasse videri nolentes, ἠσέχησαν τῆς τῶν ὑγιαίνοντων λόγων ὑποτυπώσεως circa principalem isthunc de justificatione articulum

culum

culum, qui antiquitus audit umbilicus, acropolis, arx & propugnaculum religionis nostræ, quo stante omnia stant, ruente ruunt, & de quo cedere, aut aliquid contra illum largiri ac permittere, *Luthero Judice in Art. Schmalc. part. 2.* nemo piorum potest, etiamsi cœlum & terra & omnia corruant; ut, inquam, isti, *εἰδότες τὸν φόβον τῆς κυρίας 2. Cor. V, II.* spiritualia hæc vere spiritualiter dijudicent, spiritus Prophetarum Prophetis subordinent, & ut cautius impofterum loquantur, instar omnium sibi gnomonis vice defigant exemplum *B. D. Gerhardi Senioris*, quem Theologorum præcipitantis seculi parentem toties a magni iudicii viris salutatum novimus. B. quidem *D. Rudraufius* de hoc ipso in *Philos. Theol. p. 129.* historiam omnino memorabilem consignavit. *Optimus*, inquit, *& meritissimus Dn. Gerhardus suo tempore vocem Taulerianam Gelassenheit ex libris Scholæ Eusebianæ eo consilio eaque de causa submovit, quia blandiri videatur somniis fanaticorum, Weigelianorum & Roscrucianorum, prout ad B. nostrum Mentzerum Jena scripsit dat. 13. Martii 1623. his verbis: Vox Tauleriana Gelassenheit / qua & Lutherus utitur, non alio a me accipitur sensu, quam eo, quem statim addo, videlicet, ut pro abnegatione nostri & resignatione voluntatis propriæ accipiatur. Quid enim? An non Ecclesia canit Dir uns lassen ganz und gar? Nihilominus, cum intelligerem, hac vocula Enthusiastas abuti, eamque calumniæ esse obnoxiam, submovi eam ex libris Scholæ Eusebianæ. ABSIT ENIM A ME, UT VEL VERBULUM PROFERRE SCIENS VELIM, QUOD SOMNIIS FANATICORUM ISTORUM BLANDIATUR. Quibus pretiosus noster Mentzerus Darmstadinus, cum & mihi communicaret, ascripsit & apposuit: Das h. ist sich des Fleisches enthalten / wenn sich ein Bruder daran ärgert. Quod iudicium Lectori vere illuminato recteque animato equidem ad horum*

rum

rum, in quæ incidimus, temporum vitia accommodandum sisto; atque ita hæc, stromatum instar elucubrata, Ecclesiæ nostratis afflictissimæ tranquillitati sacrata, atque ad Apostolicum illud τὸ ἐν εἰρήνῃ ἀληθεύειν collineantia meletemata in timore Domini & coram facie JESU CHRISTI obfigno. Mane nobiscum, Domine! Advesperascit in vita: Advesperascit in doctrina. Amen.

Δῶβαί τινες τυποθετικά.

**P**ag. 3. lin. 13. pro innfitum leg. infinitum. Pag. 11. lin. 13. pro Conjungitur ergo leg. Conjungitur tamen juxta quosdam. Pag. 16. lin. 25. pro 767. leg. 867. Pag. 17. lin. 29. pro quod habeat Geminum leg. quo habeat geminum. Pag. 21. lin. 16. pro salvam leg. salvum. Pag. 22. lin. 19. pro derrivare leg. derivare. Pag. 26. lin. 21. § 22. pro conversio ambitu leg. conversionis ambitu. Pag. 47. lin. 6. 7. pro liberali leg. liberati, κτλ.

F I N I S.



b. F. 954

